

V.
EXERCITATIO.

NES ACADEMICÆ

PRIVATÆ;

In quibus

Quatuor Theologicæ

Controversiæ, De Omnipræsentia Carnis
Christi, de Sacramentis in genere, & in specie de
Baptismo, Cœna D. considerantur; simulq; Ar-
gumenta Calvinianorum Confessione Helveticæ
in Vngaria addictorum, prout in hac ipsorum Con-
fessione lingua vernacula sunt apposita.

breviter examinantur &
refelluntur.

CONSCRIPTÆ


Per

NICOLAUM GALGO-

CINVM V.

Approhante venerando Theologorum

Wittebergenfium Collegio.



WITTEBERGÆ

Excusum typis Jobannis Gormanni,

ANNO M. D. CXIX.

**ILLUSTRISSIMO SPECTA-
BILI ET MAGNIFICO DO-
MINO COMITI**

Dn. PAULO DE NADAZD
TERRÆ FOGARASZ COMITI
perpetuo & Comitatus Castriferrei supre-
mo Comiti. S. R. M. Equiti Aurato &c.
Domino gratiosissimo Mecœnati
Clementissimo

UT ET
REVERENDIS CLARISSIMIS
DOCTISSIMIS VIRIS

Dn. Superintendenti,

Dn. Senioribus alijsq; nostro Comituberno
addictis Antistitibus, puriorem Lutheranam reli-
gionem amplectentibus &c. Dominis Fau-
toribus ac Amicis omni observantia
cultu demerendis.

Illustrissime Comes, Domine
Clementissime, Item Reverendi &
Clarissimi Viri, Regius Psaltes cum
intel-

XIXO. D. M. OXXX

DEDICATORIA.

intelligeret afflatu Spiritus S. unicè à DEO
pendere donum intelligendi vias Domini
à DEO se doceri postulat, inquires: *Doce
me viam tuam Domine, fac ut ambulem in ve-
ritate tua, in unicum hoc dirige cor meum, ut
timeat nomen tuum.* Felix namq; est quem
Dominus Scholæ suæ facit Alumnum insti-
tutionis Discipulum; huic nihil deerit in-
timore, nihil in amore, nihil in fervore; ti-
mebit Dominū per viam contemplationis,
amabit per semitam propriæ dilectionis,
fervebit instructus ardore cœlestis ignis,
adeoque omnibus his potietur ad satieta-
tem. Has verò cœlestes semitas DEUS Ze-
baoth in sacris literis nobis proponit velut
in speculo voluntatis suæ manifestatæ co-
gnitionem exhibens. Duo autem sunt me-
dia per quæ plenariè erudimur in cognitio-
ne viarum Domini.

Sacra Scriptura. In hac nobis omne con-
siliū Dei est manifestaturus Actor. 20. 27.
Testimonium perhibet hæc de Deo in se
continens vitam æternam Joh. 5. v. 39. O-
cur hinc post modum illa beatitudo ex
meditatione diurna nocturnave Legis Di-
vinæ Psal. 1. v. 2. In hanc nihil inferre, sed se

hac auferre, nihil introducere sed eruere licet quia non est *ιδίας Παλύσεως* 2. Pet. 1. 20. Cynosuram verò hanc sanctè piè reuenter quivis cui salus est curæ volutare & atrectare debet: rationem cohibendo, mentem componendo & à curis vanis immunitatem reddendo: ruminandum hic piè non scrutandum immodestè, legendæ hæ utiliter & non negligendæ pueriliter. Frequens namque Divinarum Scripturarum lectio earundem parit intellectum; inquit Theophil. in epist. ad Roman. In hac autem cognitionis rectitudine quicunq; Athletam agis, sepone merum & recipe animū; adest enim tibi Deus Pater sua gratia, Filius doctrina; Spiritus S. directionis ac luminis. Exhibe te ergo filium, ut in ulnas gratiæ recipiaris, exhibe discipulum, ut in vialu ac Jehovæ doctrina erudiaris, exhibe tractabilem ac dirigibilem ut luce irradiante illumineris. Aufer velamen malitiæ & adfer splendorem sanctæ vitæ; remove rationis dominium & adhibe Spiritus S. studium sic fiet ut Legem Domini & rectè intelligas voluntatem ejus ames ac facias Psal. 119, 24.

2. *Sancti Spiritus assistentia.* Duo enim

hæc

hæc ut rectè censentur causæ conversionis ita quoque operationis ac divinæ eruditionis. Non enim per Enthusiasticos raptus vel convertimur vel illuminamur; sed in & per Scripturam sacram Spiritus S. in nobis suum perficit velle Phil. 2. v. 13. Hic locutus est per os Prophetarum à seculo Luc. 1. v. 70. salutem operatus in medio terræ Psal. 37. 12. à quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines 2. Pet. 1. 21. qui hac de causa nuncupatur digitus Dei Luc. 11, 12. quia nimirum est virtus Dei operatoria, teste Ambros. super c. 11. Luc. Est spiritus roboris ac virtutis Esa. 41. 2. qui omnia operatur in omnibus 1. Cor. 12. 2. & suam virtutem in nostra perficit immitate 2. Cor. 12. 2. Hunc anhelarunt summo desiderio sancti homines & se ab eo illustrari postularunt; sine enim hoc non cognoscitur Deus dicente Irenæo lib. 4. c. 14. Hinc Poeta Christianus:

*Desine cur videat nemo sine Numine numen
Mirari, Solem quis sine Sole videt.*

Exempla sunt per singula divina oracula numero plurima, pondere gravissima ac augustissima: refer huc illud Regij Psal. 138. 6. Faciem tuam illumina super seruum tuum

A 3

tuum

EPISTOLA

tuum & docere justificationis tuas Psalm. 119. 135. & v. 125. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua, & ver. 18. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua. Hinc itaque si illuminari voles te consecra, mentem tractabilem redde, intrare ad te ut possit cor tibi adaperiri roga: sic fiet sic crede mihi ut felix initium, feliciter medium, felicissimumque studiorum tuorum experiaris exitum. Sunt etenim tria primaria studij Theologici requisita. 1. Oratio propter Deum. 2. Meditatio, propter verbum. 3. Tentatio propter profectum. Illa studium Deo consecrat; ista veritatem in verbo propositam in nobis masticat: hæc perfectionem addit. Ut verò duo primaria sunt per quæ erudiamur in Mysterijs Domini; ita vicissim è diametro pugnantis duobus impedimentis hanc Dei gratiam ac in vijs ipsius singularem institutionem impedire possumus, & pro hinc dolor, plurimos & impedivisse & adhuc hodie impedire velle experimur.

1. *Rationis speculatione.* Omnem rationem hic non improbo, illam nimirum quæ sub jugum Fidei & obsequium se subjicit: talis enim

DEDICATORIA.

enim & necessaria homini Theologo & fructuosa est contra Hæreticos plerosque; qui rationis *arrogantia* dementati, ex ipso usu legitimo rationis refutari & redargui possunt. Improbo tamen illam quæ exuit jugum obsequij & induit fucum proprii arbitrij, omnia secum metiri & juxta leges proprias satagit, nec quicquam est rectum, quod sibi displicet judicat. Talis autem in mysterijs Divinis captivanda ac Christo obedientia exhibenda 2. Cor. 10. ver. 5. Magnum enim est periculum, res Fidei rationibus committere humanis inquit Chrysost. in Genes. 2. 21. Aufer Argumenta ubi Fides quaritur, inquit Ambrosius lib. de Fide. c. 5. & profer Divina oracula. Si rationis scrutinio non comprehendis Divina, Fidem obverte, quæ faciles habet manus ultra quam censes, tenet altiora. Nam res istas exactè tenere paucorum est. Fidem autem retineri, qui Christo auscultant omnium est docente. Athanas. de Incarnat.

2. *Preconcepta opinione.* Incredulitatis hanc esse matrem rectè censemus; nulli enim hæc locum dat veritati parcat nullius

EPISTOLA

innocentiæ; sed placita arripit displicentia respuit; bonum quandoque indicat malum & malum bonum, album esse nigrum & nigrum album clamat. Clarè hoc commonstrant Judæi hodierni, qui fascinati opinione vanâ Messiam nimirum fore Regem mundanum jam jam illum advenisse nec credunt, nec ut credant illuc adduci possunt. Comprobant hoc etiam Photiniani, qui primarios Fidei Articulos convellere volentes, rationem petulcam depromunt, & quia hac investigare nec valent nec debent Dei arcana, hinc apud ipsos facultas credendi est arbitraria. Recensere hic errores ipsorum à meo instituto est alienum. Videatur Exegesis August. Confess. Dn. D. Menzeri, qui hos nervosè appositos exposuit & refutavit per omnes Articulos. Hi sunt illi putrida arboris fœtidissimi flosculi, qui Fidem dubiam reddunt, Verbum Dei contemnunt, nil ædificans omnia destruunt ac perpetuos conscientie morsus conciliant quos meminisse.

*Et mens borret, stantq; coma, & vox faucibus
heret.*

Experi-

DEDICATORIA.

experimur quoque proh dolor! satis moleste in hodiernis Calvinianis Ungaris, qui præconcepta opinione laborantes plus ferè cœcæ rationi quam Divi tribuunt ori, ad regulâ naturæ mysteria examinantis, mysteria enervant, Fidem nō stabilientes, conscientias fauciant, Scripturam contorquentes cuncta in aliorum sensum rapiunt, adeoq; à veritate aures avertentes ad fabulas sese convertunt 2. Timoth. 4. v. 4. Publicarunt hi Anno 1616. versam è latino in Ungaricum idioma suæ religionis Confessionem, qua, sibi persuasum habentes autumant longè lateq; scilicet propagari posse rirus, virus dogmatum suorum, si vœtnaculo idioma hæc cujusvis obvia esset, ac per quosvis etiam simpliciores legi possunt. Sed fors cordatis sua cordi erit salus, qui libellum hunc neque ipsi luctitare nec alijs legendum persuadere satagant: qui nec pondere nec valore est alicujus momenti; sed inquam.:

*— Inspidos sparsit labras caracemos.
Et Domino volente jam & nostrarum Ecclesiarum biennium lucem Liber Christiana-*

A S

na

EPISTOLA

na Concordia è latino in Ungaricum idio-
ma versus emittitur, qui vel ipse authorita-
te hunc ludibrio ac risui expositurus est ;
in quo succincta ac brevis omnium dogma-
tum Divinorum cuius Christiano verita-
tem sitienti declaratio exhibitur ; quem
contemplari una mecum omnes pij nun-
quam defatigantur. Non censeo tamen
vel tyronem fore tam facilis assensus, qui
Confessionem hanc Calvinisticam sæpè
manibus terendo vel ipsi credat vel aliquid
boni succi in eadem cõperiat, utpote in qua
quantum ad Articulos controversos, inter
nos & illos, veritatis altum est silentium,
falsitatis autem patens antrum : audies sæ-
pe speculationes & miseræ rationis contem-
plationes, rarò vero divinorum oraculorũ
citationes. Nunc enim addunt ad textum
latinum ; Theologi scilicet in cælo nati, fal-
sitate, declarando, ut eo melius retegant ;
nunc textus originalis præsertim in N. T.
ignari, dictum aliquod citatum pessime
transferunt : nunc Scripturam primis la-
bris attingunt. Hinc sunt illæ tot pugnae &
& contradictiones Confessionis ; hinc illa
dissidia

DEDICATORIA.

dissidia cum Patronis & inventoribus Cal-
vinianæ religionis, ubi vides confessores u-
na manu aliquid dare, altera iterum tolle-
re, atque sic turpiter fluctuari. Maximum
autem est malæ mentis indicium fluctuatio
dicente Seneca in Proverb. Accedunt præ-
terea terminorum abusus, & phrasium vi-
olentæ detorsiones ; Nam quas phrasas ipsi
met habere nequeunt, easdem ab Orthodo-
xis suffurantur, *Fures terminarij* ; & qui-
dem hoc fine ut vel hæterodoxiam suam,
melius propalent, vel simplicioribus hac
ratione persuadeant, quod vel nulla vel pla-
nè exigua lis sit ipsis nobiscum in Artic-
lis controversis ; adeoque linguam habet
Lutheranam doctrinam tamen Calvinia-
nam sub nomine Lutheri ; id quod Hypo-
cricitarum est : qui aliud voce prætendunt,
aliud opere cudunt inquit Hieron. in
c. 22. Matth.

Cum autem ante biennium in hanc
celeberrimam Wittebergensium Acade-
miam, matrem ac conservatricem veritatis,
ab Illustriss. V. Magnificentiâ, sumptibus
satis laudabilibus emitterer, ac pro Alumno
licet indignus Illustr. V. M. agnoscerer, pla-
cuit

cuit hic per illud temporis spatium intra-
vireta Musarum, illis oblectare animum,
studijs, quæ olim & alijs & mihi ipsi forent
adjumento ac emolumento. Quia verò a-
nimus unice applicueram ad S.S. Theolo-
giæ studium, quo nihil habui augustius nec
habebo donec vivam; ita tamen ne alias ar-
tes liberales, quæ maximo sunt adjumento
in controversijs Theologicis, prorsus ne-
glicerem; sed hæc ea ratione tractavi, ut hæc,
ceu Ancilla Heræ Theologiæ, velut princi-
pali studiorum meorum fini inservirent: ea
propter Præceptorum Excellentissimorum,
præmonitione fideli, controversias Theo-
logicas eo labore volui ut nec solam ortho-
doxiam absque contrariæ Adversariorum,
sententiæ positione considerarem, nec so-
lam *ἡσυχίαν* sine *πράξις*, cognoscerem; sed
quod fructuosius esset utrumque; simul con-
jungerem. Jam autem officij mei hoc quo-
que esse putavi, si Calvinianorum dogma-
rum fundamenta, non modo cognoscerem
superficialiter, sed potius ut occasione sic
servente cum à me exigeretur ad eadem re-
spondere possem promptè addiscerem dili-
genter, & quidem ex proprijs ipsorum Scri-
ptis.

ptis. Accidit verò, ut cum antehac in Vn-
garia non visam Confessionem Calvinia-
norum, vernacula lingua æditam, hic in
Germania primum viderem, velut ex Indi-
co solo singulare quippiam esse censens, di-
ligenter controversos Articulos aliquot
revolvi, cumque cognoscerem levitatem
dogmatum Fidei ipsorum, intra Musæi pri-
vatos parietes ductu S. Spiritus tentavi an
ad illa aliquid respondere possem; & cum
labor ita feliciter procederet primitias
has meas in chartas congesti, congestasque
Admodum Rev. Clariss. Excellentiss. & ce-
leberrimo Theologo, Dn. D. Balthasari
Meisnero, P. P. Præceptoris æternum vene-
rando, ostendi, qui Præceptorali & singu-
lari amore, quo totus nostram singulariter
redamat gentem, & laborem qualem qua-
lem magnificat, & simul me adhortatus est,
ut censuræ Theologicæ tyrocinia hæc
Theologica subjicerem, adeoque postea ty-
pis divulgarem. Quamvis autem lubens
agnosco Lucubratiunculas has non esse ita
expolitas, quæ sine omni defectu cum exi-
mia quadam singularitate in conspectum
Virorum prodere possent (hoc enim exer-
citus

citatus tantum de se pollicebitur, non ego, qui mecum habitans novi quam sit mihi curta suppellex): attamen admonitionibus Præceptorum & amicorum quorūdam refragari piaculum duxi, ideoque quantum pro talentulo mihi concredito concessum, fuit has Exercitationes in fasciculum unum congeſſi, & in publicum prodire paſſus fui; idq; eo alacriori animo, cum cognoscerem laborem hunc meum admodum Reverendo Claris. & Excellen. Dn. D. Balthasari Meisnero, Præceptorī semper venerando non displicere.

Tyrocinia verò hæc juvenilia Illustris, M. V. Comes Magnifice Domine gratiosissime, corde subjectissimo & humili inscribo ac dedico; partim ideo, quia scio Illust. M. V. insistendo vestigijs sanctissimæ ac felicis memoriæ Illustrissimorum Parentum ac majorum suorum, dogmata Calviniana ex animo detestari, & quicquid ad propagationem puræ Lutheranae religionis facit Christiano animo accipere, id quod prædicat tota nobilis Vngaria; utpote in cujus ditione à tot jam annis vera Dei Ecclesia floruit & claruit, quam defendere & Marte & sangu-


sanguinis profusione à satellitibus infernalis hostis Illustr. M. V. nunquam destitit: partim ideo, quod lubens ad prædicandam Illustr. M. V. in me munificentiam me esse obstrictum agnoscam. Posteaquam enim à Venerabili Patrum Synodi nostræ Collegio & Seniorum ordine Illustr. V. M. commendatus fuisset, illico me suo clementi favore sub Patrocinium accepit, & sumptibus laudabilibus ad Academies exterarum nationum transmisit, & ibi tamdiu sumptibus aluit, donec feliciter studiorum meorum pro viri finem assequeretur. Tanta igitur Illustr. V. M. beneficia si non prædicarem, coram mortalibus, ingratisissimus in optimum essem. Lucubratiunculas itaq; has in signum futuræ subjectionis & debitæ gratitudinis lubens esse volo; quas velim Illustr. V. M. suscipiat in Patrocinium suum, easdemque à malefactorum morſu tueatur, mihiq; clementi aurâ in cursu literarum mearum affulgeat oro. Nomine quoque vestro præclaro hæc mea tyrocinia publicare volui Viri Reverendi & Claris. ut sic cōstarer meum erga vos amorem singularem, & vestra in me collata merita qualiter possem

EPIST. DEDICATORIA.

possem compensarem. Vestrum est hoc donum levidense capere vultu amico. DEUS desuper largiatur singulis suam gratiam, ut vobis præ eminentibus Ecclesia DEI indies magis ac magis plantetur. DEUS audiat & votis annuat.

Domine DEUS Zebaoth da gratiam & gloriam Illustris. Dn. Comiti, doce illum Domine viam rectam, fac ut ambulet in veritate tua; ostende illi Domine misericordiam tuam, & salutem tuam dona eidem, justitia ante eum ambulet & ponat in via ejus gressus suos. Domine DEUS exercituum respice de cælo, & illumina faciem tuam: inscribe digitis tuis facta voluntatis tuæ. Defende Domine Domum Nadazdianam & in seram posteritatem promove. Sit pax intra muros ipsius Illustr. M. & prosperitas intra palatia ejus: misericordia & veritas obvient sibi, justitia & pax osculentur se in ditione ipsius. Defende Dominum Patronum clementissimum, & Spiritu tuo S. ipsum dirige in via pacis; sanctissimis Angelis tuere & dextra tua forti prætege, ac in Patriæ emolumentum, Lutheranae veræ religionis incrementum, omniumq; piorum solatium feliciter quam diutissime serua, fecunda & sospita; per Jesum Christum, verum Deum & verum Hominem, Redemptorem generis humani, Amen. Ita precabar. Wittebergæ 9. Julij. Anno reparatæ salutis 1619.

Illustris. V. M. ut &
Reverendis. & Doctis. V. D.
Subjectissimus & humilimus Client
N. G. V. SS. Th. Stud.



EXERCITATIO I.

DE OMNIPRÆSENTIA CARNIS CHRISTI, IPSI A ΛΟΓΩ COMMUNICATA.

SECTIO I. DE STATU CONTROVERSIÆ.

I.

Rudenter ac piè quidam ex Patribus ita loquitur: *Potentia Divina non est terminus, & sapientia non est numerus.* Est enim Divina potentia, ipsa Divina essentia, quia in Deo nil est nisi ipse Deus, hanc si limitibus rationis coangustaveris, Deum esse omnipotentem negare cogaris. Si Sapientiam scrupulosè scrutari ipsiusq; modum investigare conaris, time ne ex alto præcipiteris. Ne igitur in utroq; erremus scrutando, subjiciamus nostram rationem sub obsequium Fidei captivando 2. Corinth. 10. 5. *Scrutator enim majestatis (superciliosus & scrupulosus puta) opprimitur à gloria* Proverb. 25. 27. Moti igitur his & his similibus non immeritò miramur quosdam

B

Calvi-

Calvinianos, qui ultra posse sapere & ultra debere ratiocinari non erubescant; uno tam audax ipsis est ingenium, ut nec limites Divinæ potentia ponere, nec numerum ac modum sapientia Divinæ perscrutari vereantur: gloriosam Carnis Christi Omnipræsentiam videlicet negando, de sede celsitudinis illam deturbando; quasi hæc cum carne, consistere non possit: Sed hæc ἀντιφασίς non Fidei est sed rationis, non vera sed apprensus; quam suo loco discutiemus uberius.

2. Manifestior igitur ut fieret veritas in hoc negotio depressior verò falsitas, opere precium fore putavi, si in acie hujus dissertationis falsos modos Omnipræsentia, qui vel sunt conficti, vel ecclesiis nostris per contumeliā imputati annotarem adeoq; hac ipsa annotatione falsis semotis veram, ac genuinam sententiam nostrarum Ecclesiarum assererem. Quod dum facio ita cum August. in l. Meditat. c. 37. precor: *Præbe mihi rogo contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem sursum; & quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosa vallis corrueat: ne interveniente umbra terra a te vero justitia sole separetur, & obducta tenebrarum nebula, prohibeatur alia respicere.*

3. Multi ac varii illiq; heterogenei, conficti hodie affinguntur doctrinae nostræ de Omnipræsentia Carnis Christi modi, quo opere censent Adversarii ἐπερωδοξίαν suam eo melius

melius promoveri posse: & licet hæctenus sufficienter à nostris Theologis hoc crimen refutatum fuit; placet tamen & hic inordinatam hanc melodiam falso nobis imputatam retundere.

4. Removemus itaq; à gloriosa Carne Domini & Servatoris nostri Jesu Christi. 1. Omnipræsentiam Physicam sive Essentialem. Nullus enim nostrorum Theologorum docuit, & ne per somnium alicui in mentem venit, omnipræsentiam Carni Christi idioma esse essentiale quod illa per se ex se & à se sit omnipræsentis, hoc enim est contra communem rationem Formæ, imò contra naturam corporum, quam finitam & circumscriptam ipsi sensus ultro commonstrant: & quæ corpora secundum naturæ cursum ordinarium ad ea, quæ transcendunt naturæ terminos se se extendere non possunt. Jam vero Carnem Christi esse finitam, essentialibus proprietatibus constantem, circumscriptam &c. ultro secundum Scripturæ tenorem lubentes fateremur.

Paret insuper hinc horas bonas perdidisse Sadeëlem in libello illo conscribendo cui titulus *De veritate Humane nature, & Martinium* Lib. 2. de unica Persona Christi, quam non ut ex professo assererent, sumpserunt, sed ut suspectam redderent ac destruerent.

Hic insuper hoc nota quod vocabulum *ubiquitatis* adversarii nobis per calumniam

Remotio
falsorum
modorum
de omni-
præsentia
Carnis Chri-
sti.

affingant, ut vel voce ipsa deterreant piamentes à doctrina hac Sancti Spiritus. Verum vox hæc nostro sensu cum de omnipræsentia Carnis Christi disputamus non notat essentialem aliquam alicubi essendi rationem, quasi id quod ubiq; est, omnia ubi repleat; tunc enim tantum de Deo usurpatur: sed modum omnipræsentiaë communicatum; de quo plura. Neq; adeò à voce ista sano sensu usurpata abhorremus; malumus tamen Omnipræsentiaë terminum retinere; atq; sic calumniandi ansam præcindere.

Omnipræsentia per exhibitionem conspicua.

5. 2. *Omnipræsentiam conspicuam per exhibitionem.* Præsentia enim hac Christus quoad Carnem suam se visendum præbet in cælis Ecclesiæ triumphanti, ubi beati illum semper vident ad gaudium, ad lætitiã, perfruuntur hac visione ad satietatem; vident namq; quod amant, & quod amant pro voto vident. Hac præsentia Caro Christi ante adventum ad iudicium ordinario modo apparitura non est; sed tum quando dicitur: Ecce venit Sponsus &c. Matth. 25. v. 6.

Omnipræsentia extensiva.

6. 3. *Omnipræsentiam que fit per extensionem, expansionem, ac diffusionem.* Multi ex Calvinianis nobis falso adscribunt hanc opinionem, quasi doceremus carnem Christi per diffusionem quandam & extensionem creaturis esse præsentem; sed hæc mera est calumnia, orta vel ex incitia vel ex invidia. Et qui diligens lector Theologorum nostrorum est,

non

non potest non, si peponem non habet pro cerebro, comprehendere, secus à nobis doceri. Diligenter observa quisquis es, adulerinam hanc omnipræsentiaë speciem, & comperies omnia Argumenta Calvinianorum petita à corporis dimensione, quantitate, finitate &c. ipsa aura esse leviora; quibus illi scopum semper alienum petunt extra oleas vagantes.

7. 4. *Omnipræsentiam per multiplicationem, aut replicationem Carnis Christi.* Ab hoc dogmate, ceu à peste, nostri abhorrent Theologi; quo docetur præsens aliquid ita esse, ceu imaginem, quæ in partibus speculi fracti repræsentatur; Sic enim veritas corporis non adstruitur sed destruitur; quia unius corporis imaginaria quædam multiplicatio statuitur.

8. 5. *Omnipræsentiam conversivam, corporalis videlicet essentia in spiritali.* Hic est ille nodus Gordius seu insaltatorius, quem Calviniani semper in ore habent, hunc itaq; ut solvamus vel parum vel nihil sudandum erit. Sed nihil planè nobis laboris hac in re facessant, quia figmenta sui cerebri crepant, & in Theologia nostra inaudita calumniosè & per injuriam nobis adscribunt, quod Momi est qui semper benè dicta, interpretatur pro pessimis. Criminantur hodierni Calviniani nos dogmate nostro Corpus facere non corpus, quia docemus Carnem Christi vi & beneficio communicatæ Hypostaseos esse præ-

Omnipræsentia per multiplicationem corporis si ve substantiaë.

Omnipræsentia conversivæ corporalis essentiaë in Spirituali.

sentem suis creaturis, adeoq; finitum dici-
 mus scilicet, esse infinitum; quod *ἀτοαν*:
 quem errorem etiam ipsa Confessio pericu-
 losum esse asserit. O sacrum periculum, in
 quo qui periclitatur, Deo perit, & non mun-
 do; utinam & Calviniani huic se submitte-
 rent, & curiositati valedicentes Scripturæ ad-
 hærent, tum benè res succederet. Sed
 quod venia ipsorum dixerim nimis sunt mo-
 rosi, vel potius vertiginosi hac in re. Nam
*si credimus natura naturalia, artificia artificialia, ut
 sum Iustino loquar, & Deo Divina credenda sunt,
 quia ejus potestati nihil est inobediens sed omnia ei
 parens.* Utrumq; igitur verum esse credimus,
 & quod Caro Christi sit finita, quanta, con-
 stans essentialibus proprietatibus neq; in Di-
 vinitatem conversa; & quod illa sit in unio-
 nem Hypostaticam assumpta, per quam de-
 venit in participationem omnium idioma-
 tum Divinorum; atq; sic etiam in possessio-
 nem omnipræsentia, per quam Ecclesiæ suæ
 semper Caro Christi velut à *ἀόγω* non di-
 vulsa præsens est. Sic ergo docemus Carnis
 omnipræsentiam, ne evertamus ejusdem
 veritatem & essentialitatem. Quæ opposita nec
 sunt nec pro illis censerentur. Calumnia
 itaq; est attingere aliis id, quod non asseri-
 mus.

9. 6. *Omnipræsentiam Christi quoad solam Dei-
 tatem.* Admodum vertumnus est Spiritus
 Calvinisticus, qui postquam unum dat in-

conveniens infinita ipsum ponere quivis
 colligit: quique suæ causæ dum favere co-
 natur eam miserabiliter prostituit. Hic Cal-
 vinianis crimen illud objectare possumus,
 quo nos interim laesunt, quod à Persona
 ad naturam non nisi ignaris, transire liceat,
 quo crimine certe hoc in negotio ipsi ad fu-
 ras usq; sunt polluti. Quæ dicta enim Scri-
 pturæ pro præsentia Personæ Christi in his
 terris Theologi adducunt, ea omnia vertum-
 nose per contorsionem miserabilem ad so-
 lam Deitatem Calviniani referunt. (Autho-
 ritas Prætoria sanè, & tantis viris scilicet di-
 gna) contra manifestam Theologorum Re-
 gulam, quam permulti & ex ipsorum ordi-
 ne lubentes amplectuntur: *Quod nomina offi-
 cii competant Christo secundum utramq; naturam.*
 Tale vero nomen esse omnipræsentiam
 Carnis Christi quis negabit? Et quid aliud
 est, dicere Deitatem absente Humanitate
 præsentem esse, quam Personæ solvere uni-
 tatem? quod a non longe absit à vero cui-
 vis judicandum linquo. Dominaturne in
 medio inimicorum præsens Deitas, absente
 humanitate? Colligit ne sibi Ecclesiam in
 his terris absente Humanitate Deitas? Dat-
 ne Deitas sine humanitate in Ecclesia alios
 Doctores, alios Pastores &c? Num non hæc
 omnia unus idemq; Christus in duabus na-
 turis operatur? Num quid divisus Christus
 hæc facit? Longe rectius Patres; Christus

Regula
 Theologo-
 rum.

Omnipræ-
 sentia soli-
 us divinita-
 tis.

CONVE-

Omni præ-
sentia vir-
tualis five
gratiosa.

operatur hæc in, cum & per assumptam na-
turam.

10. 7. *Omnipresentiam gratiosam, five virtua-
lem.* Refert Hilarius l. 8. de Trinit: Arrianos
efficacia non essentia Carnem Christi in no-
bis habitare five præsentem esse docuisse,
docente Chemnit: in L. C. Artic: de Dua-
bus Naturis c. 31. p. 207. quod germen malæ
vitæ quemnam in finem docuerint, docet
idem. His similes in hoc negotio sunt Calvi-
niani; qui ne omnem videantur tollere Car-
nis Christi præsentiam & meram ponere ab-
sentiam, subjiciunt carnem Christi nobis es-
se præsentem præsentia nimirum gratiosa,
quo ipso simpliciores decipiunt persuaden-
tes illis, se à Cæna non excludere carnem,
sed gratiosè esse præsentem docere; ubi tur-
pissimè abutuntur termino *præsentia gratiosæ*,
quasi illa non præsupponeret Christum ope-
rantem & quidem præsentem, sed absente.
Falsissimè hoc: hæc enim nil aliud est quam
ipsissima præsentis Christi utriusq; naturæ
Substantia; qua negata ipsa veritas natura-
rum facili negotio negabitur. Et finge gra-
tiosam præsentiam sine naturarum præsen-
tia si potes? Hoc si facis, eodem labore evin-
cam Divinitatem abesse à creaturis, & tan-
tum sua gratia virtute atq; efficacia præsen-
tem esse adstruam. Quid vero hinc? Pho-
tinianismus, quem si à se remouent Calvi-
niani, removeant quoq; oportet turpem ter-
mini

mini istius abusum & sic gratiosè præsentem
Christum quoad carnem esse dicant ne ve-
ram & substantialem ipsius præsentiam ne-
gent. Aut masnè vero quisquis es cum Pau-
lus dicat Gal. 2. v. 20: Vivo autem non jam
ego, sed vivit IN ME Christus: hic gratio-
sam præsentiam ipsum ita adstruere five in-
habitationem, ut interim neget revera &
substantialiter in se vivere Christum? Erras
si sic sentis. Maxima hic Pauli & quorumvis
piorum consolatio exprimitur, in qua qui-
vis persentiscit admirabilem hæc totius
Christi assistentiam, corroborationem & in-
habitationem; non dimidiati inquam sed
totius veri nimirum Dei & Hominis, neq; ita
gratiosè ut negetur ipsius Substantiæ vera
præsentia, sed ita per gratiam ut in duabus
naturis nulla absente Christus tota sua Per-
sona gratiosè præsens sit, in nobis vivat &
maneat. Gratiosa enim Præsentia includit
Christi præsentem inhabitantis naturas, non
vero excludit.

11. Heterogeneis his præsentia modo dis-
cussis, statum controversiæ jam sic in for-
mo. *An totus Christus Divina & Humana naturis* Status con-
constans, secundum utramq; naturam non secun- troverfia.
dum Divinitatem tantum, sed secundum Huma-
nam quoq; naturam, quam sibi arctissime univit &
que in participationem ἁποτίθεως Divina nature
pervenit, nobis hic in terris omnibus præcipue vero
fidelibus præsens adsit, dominetur ac regnat à mari ad
mare & usq; ad terminos terræ. B 5 12. Hic

12. Hic nos orthodoxi constanter & animose affirmativam assumimus, edocti in Sacris literis ab ipsissima veritate, quæ Spiritus S. Confessio vero Helvetica in negantem abit partem, pro qua adstruenda ita destituitur testimonijs, ac omnes Calviniani veritate lucis, & nisi quædam haberet fictæ analogiæ Fidei præsidia actum esset de ipsius doctrina. Sed ficta illa est Fidei Analogia, opinari Christum assumpta sua Humana natura, in ijs & ad ea tantum uti, ad quod naturales ipsius proprietates seu facultates se extendunt; aut ea tantum cum Assumpta & per assumptam suam Humanitatem facere, operari & præstare posse, quæ secundum essentialia seu naturales ejus proprietates & facultates fiunt. Quando vero Scriptura aliquid prædicat de corpore Christi, quod præter supra aut etiam contra naturales ejus proprietates videatur esse, velut Præsentia ejus in ecclesia, ut tunc à verbis Scripturæ discedamus, & excogitemus talem sensum, qui naturalibus assumpti Corporis proprietatibus consentaneus sit. Nos nostram sententiam sequentibus roboramus Argumentis, desumptis partim ex Scriptura partim ex Personali unione & idiomatum communicatione in ipsa Sacra Scriptura declarata. Statum vero hunc controversiæ nemo alienum à proposito meo iudicabit. Si enim evinco totum Christum esse præsentem, tum ipsissi-

ipssimam quoque Christi Carnem adesse præsentem concludo, quia sine hoc totus Christus nec est nec esse post semel factam unionem potest: criminandi itaque ansa & occasio facillè præciditur Lectori diligenti, qui confert scopum mei instituti cum ipso titulo, qui est probare Omnipræsentem esse etiam Carnem Christi; quia totus Christus est omnipræsens. Sed jam ad ipsam rem.

SECTIO. II.

ARGUMENTA PRÆSENTIAM TOTIUS CHRISTI HIS in terris probantia exhibens.

II. Multa numero & pondere ac valore huc adduci possent Argumenta, quæ alias à nostris Theologis proponuntur copiosè cum maxima eorundem probandi ratione: instituti tamen mei nunc ratio & officium quia aliud suadent ex illis pauca pro multis apponere placet.

12. I. Desumitur à singulari regimine Ecclesiæ facto per Christum in, cum, & per Assumptam naturam. Singularem curam suæ Ecclesiæ gerere Christum, ut qui caput est ejusdem Ephes. 5. ver. 23. nemo Adversariorum ibit inficias: quippe ad quam ille ablegat Apostolos, vocat Gal. 1. v. 1. 1. Corinth. 1. v. 1. vasa idonea in ea præparat, domui suæ præest Hebr. 3. v. 6. cap.

1. A. Singularem regimine ecclesiæ quod fit in utraq; naturæ.

6. cap. 10. 21. nutrit ac fovet ecclesiam, sicuti vir uxorem Ephes. 5. 29. Jam vero Christo hæc cura non competit secundum alterutram naturam tantum, exclusa altera, quia hoc officium toti Christo competit, ut idem qui redemit Sanguine proprio ecclesiam Act. 20. v. 28. eandem quoque gubernet regat ipsiusque curam habeat. *Nomina enim officij Christo competunt secundum utramque naturam ut habet Maxima Theolog.* Aut igitur regimen ecclesie desinit esse nomen officij, aut utriusque naturæ competens erit. Si prius assumunt Adversarij, sudare improbanda hac assertionem ipsos necessum erit. Si posterius concedunt, cur litigant? cur veritati demonstratæ locum non dant? cur elusionibus miseris sane solem veritatis obfuscare allaborant? Ex antea declaratis jam in hunc modum colligo. *Secundum quam naturam Christus gubernat & regit ecclesiam suam, in eademque suorum curam gerit, secundum illam quoque nobis præsens adest. Sed Christus secundum utramque naturam gubernat ecclesiam suam & in eadem suorum curam gerit. Ergo Christus secundum utramque naturam quoque nobis præsens adest.* Majoris consequentia est firma, quia cælestis gubernatio præsupponit realem & substantialem Gubernantis præsentiam: Non enim hæc fit ad morem alicujus Monarchæ terreni; Sed ad morem Monarchæ cælestis Christi, qui ecclesie suæ sibi Sanctificatæ præest, eandem gubernat & regit.

Gubernatio
divina gubernantis
præsupponit præsentiam.

regit. Minor probatur dictis supra allatis de utraque natura, tum in specie quoque de Assumpta. Adde Actor. 9. v. 5. ubi Christus persecutionem piorum sibi attribuit, cur? quia illorum singularem curam gerit & persecutione nimium commoveretur velut membrorum suorum in quo pij ceu rami sunt implantati; patet hoc, quia dicit: Ego sum Jesus quem tu persequeris: Quis ille? qui ipsi visus est ver. 27. cap. 22. v. 8. c. 23. v. 11. cap. 26. ver. 15. Estne vero Paulo visus Dominus qua Deus? neutiquam, Sed qua Homo ipsi visus est, ergo etiam qua Homo præsens in terris fuit, suorumque persecutionem ultus est. Et sicut à Paulo visus fuit Dominus, ita eidem Dominus præsens adfuit, quia inter objectum visionis & ipsam visionem Semper prærequiritur justa proportio præsentia. Sicut vero negare Adversarij nequeunt Apostolum vere persecutum fuisse Christum in membris suis, ita nec eundem vere vidisse qual hominem, ut qui pro membris suis gladium ultionis, assumerat Pauloque se oposuerat, negare possent. Firma igitur & inconcussa manet Argumenti hujus primi illatio.

13. 2. Desumitur à Dominio Humana nature. apud omnes creaturas. Quæmadmodum gubernatio præsupponit præsentiam, ita quoque Dominium Humanæ in Christo nature ponit substantialem apud creaturas præsentiam;

2. Adominio Humanæ nature.

tiam; ut pote secundum quam Christus non instar Regum ac Principum terrenorum vicaria opera exequitur, Sed cum qua omnia præsens pro sua liberrima voluntate gubernat, ecclesiam plantando, hostes ipsius confundendo, omniaq; in gloria suæ declarationem dirigendo. Tale vero dominium Humanæ in Christo naturæ adscribit Psaltes Pl. 72. ver. 8: *Et dominabitur à mari usq; ad mare & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.* Psalmum hunc agere de Christo non facile vel ipsi saniores Calviniani negabunt & si velent non possunt, clara enim litera istius Psalmi est quæ simplici negatione nequit obfuscar. Uaticinium autem hoc de Christo est intelligendum secundum eam naturam non secundum quam ab æterno fuit, sed secundum quam in tempore cepit uti versiculi 9. 10. & sequent. commonstrant. Accedit huc & illud, quod dicatur Christus dominari in medio inimicorum suorum Psal. 110. ver. 2. nimirum quoad illam naturam, secundum quam collocatus & exaltatus est ad dexteram Dei, hoc est secundum Humanam Matth. 22. ver. 42. Luc. 22. 69. Unde jam sic colligo:

Secundum quam naturam dominatur Christus à mari ad mare, secundum illam quoq; creaturis suis præsens adest. Atqui Christus secundum Humanam quoq; naturam dominatur à mari ad mare. Ergo Christus secundum Humanam quoq; naturam
CREATURIS

creaturis suis præsens adest. Major jam sufficienter probata & declarata est. Minor negari nequit, nisi textus cohærentiam pervertere vellent: Et si illam protervè negant tum sequitur aut hoc dominium nullo modo pertinere ad Christum, aut si refertur, tum id fit quoad Divinam naturam. Si prius assumunt tum certo Solem lucere de die negant, cum totus hic Psalmus nihil aliud sit quam Oratio quædam in quo Christus alloquitur ecclesiâ & viceversa; sive uno verbo, est Oratio Salomonis pro se & pro populo, quibus Christus & Ecclesia significantur; adeoq; typice Salomon refert Christum late dominantem, populus autem Ecclesiam velut ipsius speculum. Si posterius tunc etiam textui vim faciunt ut qui digitum quasi in humanam naturam extendit commonstrando ipsam regnaturam à mari ad mare & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Deinde quomodo hoc fieret si is qui ab æterno Dominaretur in medio inimicorum, ipsi conferretur hoc dominium in tempore cum hujus possessio ipsi sit essentialis; nilq; sic aliud esset quam perfectissimum perficere dominium per essentialitatem habentem, ex gratia coronare; quod ἀπορον. Firmissima igitur Syllogismi manet adhuc illatio.

14. Hic vero, ne occasionem ex male intellectis dem calumniandi, notari volo, me omnipræsentiæ aliquam Carni Christi, essentialitatem

sentialem, extensivam aut physicam, quam etiam supra remoueri ab hoc negotio, non intelligere nec adscribere: Sed eam quæ Humanæ in Christo naturæ per & propter ætissimam unionem itemq; ad dexteram Patris exaltationem collata est; adeoq; uno verbo intelligo omnipræsentiam *Personalem* quæ facit ut vi Hypostaseos unam & unicam subsistentiam & simul omnipræsentiam habeant, duæ naturæ in Christo in æqualiter tamen, Assumptæ enim naturæ per unionis gratiam, Assumentis vero per essentiam competentem.

3. Ex dicto ad Ephes. 1. ver. 20.

15. 3. Ex dicto ad Ephes. 1. v. 20. & sequentibus: *Deus cum suscitaret Christum ex mortuis & sedere fecit illum in cælestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur non solum in seculo hoc veram etiam in futuro.* Tria autem in hoc dicto consideranda veniunt quæ multum declarant præsentem textum. 1. Quod Apostolus clara litera ostendat, sessionem ad dexteram Christo contigisse, secundum Humanam naturam, non vero utramque, quia resuscitatus est à mortuis qua Homo, igitur & confedit ad dexteram qua Homo. 2. Latitudinem hujus dominij Apostolus describens, omnem positionem terminorum removet, adeoq; nullos certos dominij limites ponit. Ambitu enim hujus dextræ sine dominij complectitur non solum invisibilia,

DE OMNI. CAR. CHRISTI. 17

bilia, sed & hujus mundi visibilia universalia, non tantum pios & fideles, sed & impios & infideles, non solum ecclesiæ membra, sed in universam creaturas omnes & singulas. *Ἐπεὶ ὁ* enim longe plus notat quam nudum *super*, quo, quod notetur quædam excellentior dominij ratio, nemo non videt. 3. Modum dominij describens, quoad Humanam sive resuscitatam naturam, præsentem ipsam dominari fateatur, ut quæ omnia in omnibus adimplet. Phrasi enim scripturæ *implere omnia*, notat non absentis dominationem sed præsentis operationem, quod patet ex locis parallelis Jerem. 23, vers. 23. & 24. Sapient. 1. v. 7. *Haec tenus præmissa talem illationem sup- peditant.*

Quicumq; resuscitatus est à mortuis & confedit ad dexteram in cælestibus supra omnem principatum, ut omnia impleret in omnibus, ille creaturis est præsentissimus. Atqui Christus quoad Humanam naturam est resuscitatus à mortuis & confedit ad dexteram Patris in cælestibus supra omnem principatum, ut impleret omnia in omnibus. Ergo Christus quoad Humanam naturam creaturis est præsentissimus. Major est extra omnem controversiæ aleam apud orthodoxos posita, & jam superius probata. Neq; vero vitio formæ argui potest hæc illatio,

C

illatio, quia Propositionem non sumo nude & indeterminatè, sed cum respectu & determinatione ad assumptam naturam, quippe respectu cuius ad dexteram esse collocatum Christum firmiter statuo. Exaltari enim Deitas nequit in tempore, sed Assumpta natura. Et quod implere omnia sit idem quod presentem operari, docet hoc B. Lutherus in glosis marginal. qui dicti hujus hunc sensum reddidit: *Christus est & operatur omnia in omnibus, ideoq; plena est ipsius omnis creatura.* Minor negari nequit. Firma itaq; est & illatio.

Ex dicto 16. 4. Ex dicto ad Ephes. 4. vers. 10. *Qui descendit idem ipse est qui & ascendit supra omnes cœlos ut omnia impleret.* Ubi tria probè observanda veniunt. 1. Dictum hoc loqui de Christo secundum Humanam naturam, quia secundum hanc descendit in infimas partes terræ, & ascendit supra omnes cœlos, id quod ipsa litera declarat. 2. Impletionem non intelligendam vel scripturarum vel donorum, vel successivam, vel quoad Divam naturam, sed secundum coherentiam textus Apostolici, præsertim vero ver. 9. ubi locorum superiorum & inferiorum sit mentio, intelligenda est presentia ac operatio carnis Christi, quæ nec per loca excluditur nec absens est secundum modum regni dexteræ Dei. Patet hoc insuper & inde quia ab Apostolo ad-

scensio

scensio & impletio: omnium copulantur quemadmodum itaq; illa refertur ad Assumptam naturam ita & hæc; Præbet enim suspicionem Arianismi, si quis ideo dicat Christum ascendisse supra omnes cœlos ut Deitate sua impleret omnia. Deitas enim per essentiam implet omnia, ergo hæc impletionem non acquisivit per ascensionem, quia sic desineret esse Deitas: Christus itaq; implet omnia secundum illam naturam secundum quam etiam ascendit supra omnes cœlos; quia impletio omnium est ascensionis consequens illi naturæ conveniens de qua prædicatur ascensio in cœlum.

3. Accedit huc causalis particula *ut*, ostendens modum & causam ascensus Christi supra omnes cœlos, nimirum non ut loco aliquo includatur, nec ut unius tantum ecclesiæ gremio contineatur, sed ut impleret omnia; neq; tamen hoc per carnis extensionem aut diffusionem, sed presentia Divina sive Personali & pro natura dexteræ Dei. Ex his jam ita declaratis ita colligere licet. *Secundum quam naturam Christus ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia, secundum eandem nobis est presentissimus. Atqui secundum Humanam naturam Christus ascendit supra omnes cœlos ut impleret omnia. Ergo secundum eandem nobis est presentissimus.* Consequentia est firmissima, quia non

*Ve causam
quid notes.*

nudus ponitur adscensus in textu, sed cō-
 junctus cum impletione reali quam præ-
 sentiam implicat illius naturæ secundum
 quam factus est ille adscensus. Sin cocci-
 smum antiquum regerunt de scriptura-
 rum impletione tum 1. principium pe-
 tunt, neq; id quod dicunt probant. 2. Ufu
 scripturæ phrasim implere omnia in hac
 acceptione quam ipsi urgent demonstra-
 re nequeunt. Quando enim implere in
 scripturis sumitur vel pro donorum ex-
 oratione vel pro impletione Sancti Spi-
 ritus & gratiæ, nusquam ita simpliciter po-
 nitur vox implendi sed semper in sensu
 composito: vel non ponitur indetermi-
 nate sed cum determinatione, ita ut ferè
 semper inuenias ad vocem implendi esse
 positam, vel vocem *doni* vel vocem *gratiæ*,
 vel etiam vocem *Spiritus S.* Ast hic in textu
 hoc tale nihil inuenies: unde itaq; proba-
 bunt quod implere *τὸ πᾶν*, sit idem ac
 implere donis vel gratiæ? Minor est scri-
 pturæ & jam ante hac probata. Negari
 itaq; illatio nequit.

Ex dicto

Matth. 28,
p. 20.

17. 5. Ex dicto Matth. 28, 20. *Et ecce
 ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consu-
 mationem seculi.* Declarationis ergo melio-
 ris tria hic veniunt observanda. 1. No-
 men personæ *ego*, quod nequaquam ad
 Divinitatem

Divinitatem solam contorquendum. Nomina enim Personæ in Christo utrâq; notant naturam usu scripturæ nisi textus cohærentia contrarium suadeat. Ast hic nulla nos cogit necessitas ut hoc Personæ nomen restringamus more Calvin. ad Divinam tantum naturam. 2. Personæ descriptio: Ego nimirum à Judæis crucifixus, mortuus resuscitatus & jam jam ad ad cælum adscensurus, qui victoriam obtinui, vobiscum me futurum usq; ad consummationem seculi promitto. 3. Accedit textus cohærentia quæ quasi causam continet, propter quam pij hanc Christi in terris præsentiam credere debeant; quia nimirum ipsi sit data omnis potestas in cælo & in terra vers. 18. cujus virtute nullum dubium esse debet quasi ipsis præsens post adscensionem amplius non adesset: imo potius propterea ipsis præsens aderit in omnibus calamitatibus quia potest, ut qui omnipotens sit in cælo & terra, & quia vult, promissione enim ad ipsos facta hanc voluntatem suam expressit. Nulli vero alteri nisi Deo & cum Deo naturæ unitæ est æqualis voluntas & potentia in promissionibus. Sicut igitur verissimum est Christum suam nobis præsentiam promississe in verbo non secun-

C 3

dum

dum alterutram naturam tantum sed secundum utramq; ; ita firmiter credere debemus ipsum revera presentem esse. Non enim aliter ad nos loquitur in promissionibus & aliter easdem exequitur, sed ut promittit si conditio absit ita etiam exequitur. Et profecto tam efficax dictum hoc est & consolatione plenum, ut plane nullis persuasionibus humanis, mens pia quæ dulcedinem totius Christi presentis in afflictionibus sensit & habitantem quotidie in se per gratiam sentit, a sensu genuino se dimoveri patiatur. Experiatur in se quilibet qui carnis luctam perferens & comperiet maximam Christum Hominem presentem & sibi assistentem in pugna tali gratiam vincendi ac triumphandi adferre.

18. His itaq; pro meliori textus intelligentia declaratis talem construo Paralogismum.

Cuiusq; natura in Christo data est omnis potestas in caelo & in terra, secundum illam quoq; Christus est omniprensens. Sed Humana in Christo natura data est omnis potestas in caelo & in terra. Ergo secundum Humanam quoq; naturam Christus est omniprensens. Et p.c. quia Christus est omniprensens propterea etiam Humana natura quoq; est omniprensens, quia sine hac Christus totus esse nequit, neq; alibi concipitur

cipitur omniprensens nisi ut Deus & Homo in duabus naturis. Majoris consequentia est firma; 1. Quia omnipotentiae communicatio efficit, ut Christus sit omniprensens. 2. Quia hæc omnipresentia est nomen *in novulas*, implicans Christi singularitatem erga ecclesiam militantem curam à qua Assumpta natura excludi nequit. 3. Quia hæc Persona loquens ad Discipulos ipsisq; suam presentiam promittens, non foret *συνεστ*, si Assumpta natura eximeretur. Minor ex supra datis elucet. Negari itaq; Conclusio nisi per absurditatem, nequit.

19. Excipit quidam in Ungaria Calvinianus ad Majorem, illam negando; quoniam omnipotentiae communicatio respectu operis Mediationis Christo est communicata, in quo utramq; naturam laborasse nemo non scit; adeoq; malam fieri putat detorsionem, si tantum soli naturæ Humanæ communicatam esse omnipotentiam doceatur.

20. Sed respondeo. 1. Vanam hanc esse exceptionem nemo non videt, quod n. Antagonista pro concessio sumit id à nobis recte negatur siquidem communicatio omnipotentiae non refertur ad secundum genus communicationis, sed ad tertium:

24 DE OMNI. CAR. CHRISTI.

Opus autem mediationis quia ad secundam classem refertur cum communicatione omnipotentiae neque debet confundi neque argumentandi materia esse hoc in negotio propter diversissimam istorum rationem & generum communicationis distinctionem. Non igitur sic recte colligis: Sicut opus mediationis est naturae in Christo utriusque commune, ita etiam communicatio omnipotentiae. Ratio est in promptu, quia confundis secundum genus communicationis, in quo sicut una natura agit cum communicatione alterius, ita quoque opera haec utriusque naturae sunt communia; cum tertio, in quo sola natura Humana devenit in participationem Divinorum idiomatum, illius naturae quae Humanam associavit in consortium suum, sive quae unita est cum natura Humana. 2. Dato non concesso quod ob mediationis opus Christo omnipotentia sit collata, inde tamen adhuc non evincit quod contendit Adversarius, naturae videlicet Humanae hanc omnipotentiam non esse communicatam. Nam ego retorqueo hoc iugulum in Adversarium & dico: ex concessa hypothese Adversarii, propterea etiam fatendum esse Humanitati hanc omnipotentiam esse collatam, quia

DE OMNI. CAR. CHRISTI. 25

quia etiam est cum Divinitate una Mediatrice. Quemadmodum igitur non remouetur ab opere Mediationis, ita non potest removeri à communione omnipotentiae, si haec uti autumant Adversarii collata Christo propter executionem Mediationis. Sin vero negat communicationem omnipotentiae Assumptae naturae esse factam Adver. tum simul hanc naturam excludit ab opere mediationis. Sin concedit opus mediationis & hujus, respectu omnipotentiae communicationem esse factam contendit, quare ore tantum haec sive phrasi profiteretur, corde & re interim aliud & diversum meditatatur, aut si utroque modo nobiscum consentit, quid rixatur sublata litis materia? 3. Elenchus est consequentis. Quamvis enim opus mediationis utriusque naturae atque sic etiam Divinae sit commune, propterea tamen communicationem hanc esse communem totus inficior. Ratio est in promptu, quia opus mediationis non est ejus modi *αξίωμα* respectu cuius Christus quoad Divinitatem suam in meliorem statum erectus fuisset; quia inde beatitudinis sive perfectionis prorsus nihil ad ipsum respectu naturae utriusque accessit sed ad nos, quorum gratia hoc opus suscepimus

ptum & peractum fuit. Potuit igitur Christus etiam quoad Divinam suam naturam hoc opus expedire sibi à Patre demandatum sine ulla sui mutatione vel Divinitatis in meliorem statum translatione quia non ob hunc finem susceptum fuit: Ast communicatio omnipotentiae nequaquam Divinae naturae communicari poterit quocumq; tandem illa dicatur facta fuisse respectu. Cui enim naturae haec est collata, illa in statum meliorem etiam est elevata; atq; sic ex humili loco in sublimem est exaltata; Ast altissimus cui per essentialitatem haec inest, quomodo potest vel exaltari vel in meliorem statum transferri? Aut n. Christus per communicationem omnipotentiae quoad Divinam naturam, est exaltatus aut non est exaltatus. Si prius, tum altissimus non fuit; qui enim exaltatur in tempore, is ab aeterno altissimus fuisse dici nequit. Quid autem hoc dogma novi progignit? consideret secum mens pia. Si posterius tunc dici non potest omnipotentiae communicationem esse collatam respectu operis Mediatorij etiam Divinae naturae; quia per communicationem hanc natura illa cui facta est in meliorem statum est translata, id quod de Divinitate citra ipsius everfionem affirmari nequit. **Uno verbo. Communicatio haec omnipotentiae**

potentiae Divinae naturae conferri non potuit, quia in tempore facta. In tempore enim Divinitati nihil dari potuit. Sed *instantia.* Sed dicet, officium mediationis etiam Divinae naturae in tempore fuisse collatum. Respondeo. 1. Petis principium & id quod dicitur non probas. 2. Officium Mediationis Divinae in Christo naturae nequaquam est datum in tempore, sed illud ab aeterno habuit & in tempore demum juxta Decretum S. S. Trinitatis, cum redimi genus humanum deberet usurpavit. 3. Errat exceptio illa Adversarij contra illam Patrum Regulam haecenus per tot secula in ecclesia conservatam: *Quaecumq; scriptura Christum accepisse affirmat, ea non secundum Divinitatem accepit, secundum quam omnia ab aeterno possidet: sed Persona Christi ratione & respectu Humanae naturae, ea in tempore accepit.*

21. Ex dicto Matth. 18. 20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Clarissimum hoc dictum est neq; pijs mentibus dubium aliquod oriri potest de promissionis hujus complemento, nisi singulari studio è mentibus illam per Satellites suos Cerberus eripere conaretur, Duo vero hic notanda. 1. De CHRISTI praesentia dulcis promissio. 2. Priorum in nomine Christi congregatio. Utraq; ita est comparata & copulata, ut abesse à se & sejungi non possint. Nam haec fit

6. Ex dicto
Matth. 18, v.
20.

propter illam & illa propter hanc. Præ-
sens enim vel Christus congregantibus, &
congregantur p̄ij in nomine Christi præ-
sentiam suam ipsis promittentis. Si igitur
p̄ij suos conventus instituunt in Christi
nomine, ipsis utiq; & præsens est & vult
quia promissit, secundum illam etiam na-
turam quæ hæc plena consolationis verba
de præsentia sua dulci recitavit: Promissio
enim Christi cum voluntate conjuncta,
quando conditio & requisitum ad pro-
missionem additum, fuerit completum,
sortitur certitudinem eventus. Si non in-
stituunt tum singulari hac & gratiosa præ-
sentia ipsis adesse nequit Christus, licet in-
terim adsit generali. Aut igitur Calviniani
cōgregantur in Christi nomine, quo res-
pectu habent sibi Christum præsentissimum
secundum utramq; naturam: aut non
congregantur. Si posterius assument, tum
mirum non est, quod ita proterve sacra-
tissimum hoc omnipræsentie mysterium
inficientur. Si prius, cur veritati non
cedunt? quare tantis per in promissam
Christi præsentiam sua rela vibrant? Col-
ligo hinc Calvinianos vel delectari præ-
sentia totius Christi vel non delectari. Si
non delectantur tum nec in nomine
Christi congregantur, & istius displicen-
tiae

Dilemma.

tia causam dare tenentur. Si delectantur;
linquant erroris sui tenebras & Christo
nobis præsentissimo adhærescant, atq; sic
Christo ceu viti palmites veri implanta-
buntur. Sed de his cogitationes ipsis com-
mitto; si ipsis salus est curæ, maturè ad ve-
ritatis semitam scio properabunt. Ex
his jam ita declaratis, in hunc modum ar-
gumentor.

22. *Quicumq; promissit præsentiam suam cœ-*
tibus fidelium in nomine suo congregatis, is vi hu-
jus promissionis nobis est præsentissimus. Sed Ho-
mo Christus duabus constans naturis, fidelium
cœtibus præsentiam suam promissit. Ergo Homo
Christus duabus constans naturis, vi hujus pro-
misionis nobis est præsentissimus. Majoris con-
sequentia est firma; aut enim hanc præ-
sentiam promissit ut falleret, aut ut com-
pleret. Prius apage dixeris, igitur poste-
rius. Minor jam ante hæc fuit probata, &
est ipsius scripturæ. Illatio igitur non ne-
gabitur.

23. Addo 7. & illud argumentum pe-
titum ab unione hypostatica duarum in
Christo naturarum. *Quæcumq; ἀδιαπότως*
ἀδιαλύτως καὶ ἀχωρίτως ad unum ὕψιστον
ἄρρον constituendum sunt unita, ea ita sibi sunt
præsentissima, ut nullibi sit unitorum unum ubi
non sit alterum. Atqui λόγος & assumpta huma-
nitas,

7. *Desumit-*
tur ex hypo-
statica unio-
ne duarum
naturarum,

*νitas, ἀδιεσπείτως, ἀδιελύτως, καὶ ἀχωρί-
 στως ad constituendā unam Christi Personam sunt
 unita. Ergo λόγος & Assumpta. Humanitas, ita
 sibi sunt presentissima, ut nullibi in unitorum u-
 num, ubi non sit alterum. Majoris consequen-
 tia est firma, quia omnis unio unitorum
 implicat presentiam; multo magis vero
 Personalis unio. Loquendo enim genera-
 liter unio nihil est aliud quam rerum con-
 junctio, quo igitur arctius res sunt unitæ;
 eo etiam magis presentes. Quia rerū con-
 junctionē nec cogitatione allequi possu-
 mus sine eorundem presentia mutua. Sin
 autem unitū unum fingitur esse extra alte-
 ram, tunc illic manifesta est unionis solu-
 tio, quia res amplius conjunctæ nec sunt
 nec esse possunt. *Fieri non potest, dicit Scali-
 ger, idem esse extra rem & in re separabile & con-
 junctum.* Exerc. 307. Sect. 16. Sic etiam unio
 duarum in Christo naturarum se trahet,
 quarum si una dicatur esse extra alteram,
 tum manifesta est unionis dissolutio. Et
 certe *contradictio est in adjecto*, dicere natu-
 rarum unam nimirum Divinam simul es-
 se unitam Carni & esse extra Carnem ad-
 eoque omnipresentem, sine Carne: quate-
 nus enim est extra carnem eatenus unita
 carni non est, quia est extra carnē adeoque
 extra unionem, quo ipso manifesta uni-
 torum*

torum est solutio. Vana igitur est illa exce-
 ptioncula Calvinianorum, qua vim Argu-
 menti infirmare allaborant, dicentes, pro-
 prea non sequi Humanam naturam esse
 omnipresentem quia λόγος est unita; U-
 nio enim hæc, ajunt, Divinam non cir-
 cumscribit Humana natura; adeoque licet
 Assumpta natura negetur esse omnipresēs
 propterea tamen unionē solvi negant quia
 Assumens natura sive Divina ita est in car-
 ne sive illi unita ut simul sit extra Car-
 nem. Vana inquam hæc est exceptiuncu-
 la, petita potius ex scrinio rationis quam
 ex oraculis Divinis. Circumscriptio Di-
 vinitatis nulla est cavenda, si vel maxime
 extra hanc unionem Divinitas Christi esse
 negetur. Facta enim hæc est in Perso-
 na, ita ne vel Divinitas coangustaretur,
 vel Humanitas in immensitatem muta-
 retur. Deinde quo scripturæ loco aut
 testimonio probabunt suam istam phra-
 sin loquendi: *Λόγος ita est unitus Carni
 ut sit etiam extra Carnem.* Hic certe nul-
 las, nullas inquam sacras literas secum
 habent consentientes: Contrarium po-
 tius invenies: *In CHRISTO inhabitat
 omnis plenitudo Deitatis σωματικώς* Coloss.
 2. versic. 9. non igitur extra CHRIS-
 TUM. Habet hoc in dicto mens

Exceptiun-
 cula.

pia unionis definitionem, non Calvinianam, sed veram & scripturis consentientem: ubi λόγος non dicitur habitare extra Carnem, sed in Carne cui testimonio tuto inniti potest. Proferant igitur dicta five testimonia scripturæ moneo Adversarios pro sententia sua probanda & tandem evincant, sed hoc præstabunt in seculorum secula. Verba igitur tantum dant hac de quæstione differentes non prævia scriptura. Inconculsa ad huc igitur manet Consequentia Majoris, quod unitorum unum (puta in Persona Christi) propter arctissimam copulam nullibi est, ubi non sit alterum: quam nulla Calvinianorum enervabit inanis modulatio. Minor est certissima & pene extra omnem controversiam quam & ipsa confessio comprobatur p. 65. Nequit igitur conclusio negari Argumenti supra positi.

24. Hæc paucula pro multis hac vice pro comprobanda præsentia Carnis Christi his in terris adducere placuit; plura congerere animus non est cum & hæc tanti sint momenti, ad quæ vel nihil solidi & superficialiter tantum, vel plane non possunt respondere Adversarij. Quoties enim excipiunt ad nostra Argumenta, hoc faciunt ideo, ne penitus tacuisse videantur.

deantur. Plura Benevolus Lector peret ex D. Chemnic. l. de Duab. Naturis. D. Hutteri in explicatione plana L. C. C. Artic. 8. Dn. D. Mentzeri in Tomis Gissensib. per aliquot Disputationes, & alijs.

SECTIO III. DE ARGUMENTIS AD- VERSARIORUM.

25. Nostram orthodoxam ac piam per omniaq; sacris literis consonam sententiam Argumentis superiori sectione appositis sufficienter probavi, confirmavi ac roboravi: superest ut transitum faciam ad examen Argumentorum, quibus Confessio Ungarica in hoc negotio ad eversionem nostræ sententiæ utitur: levis tamen sunt armaturæ & monetæ satis vilis, quæ risu potius quam operosa refutatione sunt digna. Duo autem prius notari velim.

i. Confessionem nullum scripturæ dictum pro hac sua sententia adducere; quod annon malæ causæ sit indicium, animis indicandum relinquo. Et licet libelli compendiositas ipsis aliquam suppeditare videatur excusationem, illam tamen nullam esse censeo. Nam si medios terminos etiam in tanta compendiositate sine

*Paupertas
Confessionis
in allegan-
dis dictis
pro causa
sua frigida.*

D

molestia

molestia omni annotare potuit Confessio, a quietate exigente etiam locos Theologicos sive scripturæ capita ubi nimirum isti continerentur annotare & potuit & debuit. Accedit præterea negotij istius maxima gravitas in quo optime sciunt nos nil plane recipere quod aut ex scripturis prius comprobatum non fuerit vel quoad litteram vel quoad consequentiam bonam (hæc enim probandi genera ex scripturis a Theologis innutuntur) aut cum analogia Fidei consonaverit. Et quia in minus necessarijs locorū Theologorum citationem Confessio haud neglexit, hæc eadem sagacitate hic etiam opus fuit. Ast quia negotium suum non ex pharetra scripturæ Confessio hausit, propterea nec tela ad hoc negotium theologikum tuendum facientia hinc haurire potuit. Non annotavit igitur mediorem terminorum biblica capita quia nec ipsi medij termini sunt biblici, sed potius adulterini, & fortus ex misera ratione deprompti. Neq; alicujus momenti est quod forte instantiæ loco reponere possent, de Confessione Augustana vera illa Anno 1530. Carolo V. Imperat. Augustæ Vindelicorum exhibita, quæ etiam terminos quidem orthodoxiæ apposuit, capita interim Biblica neglexit. Na r. Illa res habet biblicas

non

Instantia.

non misera rationis. 2. In Apologia ejusdem Confessionis sufficienter post modum brevitatis illa cum per rerum Theologicarum ampliationem tum simul per capitum annotationem aucta fuit. Accedit. 3. Solida Declaratio ad calcem Libri Christianæ Concord. & in Corpus ipsius quæ est conjecta, ubi mare est rerum Theologicarum, quo sufficienter prior illa brevitatis locupletata fuit. Nil igitur Adversarij habent præsidij in hac brevitate, quod ipsorum vel negligentiam, vel etiam dogmatis levitatem excusare possent. 2. Calvinianos hodiernos non omnem Carnis Christi præsentiam tollere, sed relativam, quæ licet in se conficta & falsa sit, hic tamen ut veram sumo, lubentes, in Cœna D. præsertim, concedunt; Confessio autem omnem omnino tollit; quæ res an non possit esse indicio belli funesti, inter Confess. prædictam & reliquos ipsorum Theologos, colligat sapiens. Obiter verò & illud observatum volo quod controversiam aliquam probandi duo sint principia *Essendi & cognoscendi*. Hoc in Theologicis controversijs & præcipue in Mysterijs est scriptura. S. Illud vero (puta in mysterijs) ratio curiosa. Hanc viam sequuntur Calviniani; illam orthodoxi & quidem prævia praxi cum Prophetarum in V. T. tum ipsius Christi & Apostolorum

*Principia
probant
duo.*

D 3

12

in Novo, qui exorta aliqua controversia semper scripturam, principium videlicet cognoscendi pro medio *γνώσις* controversias decidendi & comprobandi habuerunt. Calvinianam methodum approbare nequeo, quia mysteriorum ratio a priori dari nequit; Omnipræsencia autem Carnis Christi resultans ex usurpatione illius hypostaseos per quam Caro subsistit & exaltatione ad dexteram, est magnum mysterium; cuius ratio a priori nequit dari, adeoque nec a priori debet judicari. Quando vero Calviniani defumunt Axiomata ex Physicis atque rerum naturalium causis, hocque mysterium petunt & oppugnant tum semper a priori causam mysteriorum scire gestiunt; quod facere in scola Spiritus Sancti religio est. Ad hanc classem referri possunt ij medij termini, quos jam in syllogismos redigam & censuræ sive examini subijciam: quibus Confessio mysterium omnipræsentiæ evertere conatur; ad quæ quidem respondere non teneremur quia ex serinio aligeno producuntur, ex abundanti tamen, quanta vis ipsis in sit probandi Calvinianas partes, videbimus.

26. Tres autem medios terminos Confessio. p. 66. pro evertenda nostra orthodoxa

doxia adducit, quos prius in syllogisticam formam reducam, atque sic qua fieri potest diligentia discutiam. 1. Argumentum in hanc formam redigi potest.

Quodcumque corpus post glorificationem non desijt esse corpus. Vel: Cuiuscumque Corporis veritas non desijt esse post glorificationem, illud non est ubique. Sed Corpus Christi post glorificationem non desijt esse Corpus. Ergo Corpus Christi non est ubique. 1. Argumentum Confessionis.

Respondeo. 1. Sophistica hæc levis armaturæ laborat sophismate *Ἐπεὶ τὸ μὴ ἀλλοτρίως εἶναι*. Non enim ideo Corpus Christi est omnipræsens, quia illud veritatem proprietatum non amplius retinuit, sive illas exiit, quod asserere hæreticum esset: sed quia evertum est in illam hypostasim post semel factam unionem personalem, in qua & per quam subsistit, & propter quam extra locorum distimata Caro Christi est collocata; quæ quia Carni facta est propriissima, utpote per quam subsistit, non potest non omnibus creaturis fieri præsentissima ipsa quoque Christi caro cum eadem hypostasi, in qua & per quam subsistit & quæ cælum terramvè implet, Jerem. 23, 23. & post factam glorificationem ad cælos adscendit con-seditque ad Dexteram Patris, vel ut Patres

loquantur *οὐδὲ ποῦ* & facta est; ea de cau-
 sa etiam omnipræsens. 2. Argumentum
 Confessionis est plane negativū, quod ni-
 hil probat quia nihil ponit. Negationes n.
 sunt puræ everfiones (puta rerum) nō as-
 fertiones. Non secus ac si ita argumētarer.
*Quicumq; post natiuitatem ex utero matris nō de-
 sijn esse homo, ille non est rationalis. Quidā Calvi-
 ni inus post natiuitatem ex utero matris non desijt
 esse homo. Ergo quid in Calvinianus non est ratio-
 nalis.* Et certe si illud Argumentum Calvi-
 nianam est alicujus momēti & habet vim
 concludendi tum profecto & hoc habebit
 cum sit similis formæ. 3. Est plane aligenū
 à præsentī negotio; non enim probat *αὐτῶ-
 τ* & Carnem Christi non esse omnipræ-
 sentem, sed Carnem non amisisse post glo-
 rificationem suas proprietates, id quod
 nunquam à nobis affirmatum fuit est igitur
αὐτῶ τ & hæc ratioeinatio. 4. In simili
 forma argumentando negare possem Car-
 nem Christi Divinitati esse unitam, quia
 Caro non desijt esse, & propterea nec uni-
 ri potuit. Sed cape instantiam: *Quodcumq;
 corpus post glorificationem non desijt esse corpus il-
 lud religioso cultu venerari non debet.* Ratio est
 in promptu, quia adoratio sive adorabi-
 litas non minus Deo cōvenit per essen-
 tiam ac ipsa omnipræsentiā; est n. cultus
 soli

*Subsumo
 jam de indi-
 viduis.*

Instantia.

soli Deo & nulli creaturæ debitus. *Sed
 corpus Christi post glorificationem non desijt esse
 corpus. Ergo corpus Christi religioso cultu vene-
 randum non est.* Conclusio est & absurda &
 contra ipsam Confessionem, quæ Homi-
 ni Christo religiosam hanc adorationem
 non denegat p. 66. Igitur in alterutra Præ-
 missarum hærebit vicium, non in Minore;
 igitur in maiore. Ad quod Argumentum
 quicquid responderint Calviniani, idem
 ipsis repono. 5. Illatio argumenti Calvini-
 stici è diametro ipsi Scripturis est op-
 posita; ad quam ceu ad heterogeneam nil
 respondere teneor. Testimonia vido supra
 apposita: 6. Utrumq; verum est in sacris
 literis & quod Caro Christi nequaquam
 desijt esse caro post glorificationem; &
 quod sit omnipræsens; male itaq; subor-
 dinata opponit Confessio. 7. Hæc sophi-
 stica petita est ex lacunis misera rationis,
 quæ mysterijs Fidei nihil præjudicare po-
 test. *Nam, quæ voce nobis Deum prodidit; sua, ra-
 tione sciri nequeunt; humana docente,* Beza in e-
 pigram. p. 249. 8. Breviter respōdeo ad ma-
 jorē illam negando; quæ quandiu probata
 non fuerit, tamdiu nil respondeo. Quia i-
 gitur deficiunt, id quod certissimum est in
 maiore probāda sui syllogismi, in defectu
 hoc contra nos nihil efficiunt. Sed dices

*Beza di-
 ctum.*

Instantia.

Majorem esse principium. Fieri potest quod sit principium Calvinisticum, sed profecto, leve, putidum, & confictum; uno verbo; falsum quod probatione eger. Probent igitur Calviniani Propositionem si possunt: ego enim syllogismum in ipsos retorqueo: *Quodcumq; Corpus post glorificationem non debet esse Corpus, illud est omniprensens.* Ratio est in promptu, quia est exaltatum ad dexteram omnipotentis Dei quæ omniprensens; Aut igitur Caro in participationem hujus dexteræ post glorificationem devenit aut non devenit. Si prius, tam etiam una cum hac dextera est omniprensens, quia illa nil est aliud quam Dei omnipotentia ac virtus infinita Exodi. 15, vers. 6. Sive ut Lutherus loquitur: *Est ipsa omnipotentia ac majestatis divine gloria, quæ cum nulli loco insit, nusquam tamen excluditur, quippe verum omnium non conditrix tantum, sed & conservatrix.* Usurpare enim dexteram Dei post exaltationem & tamen pro modo dexteræ hujus non esse omnipresentem dicere, à veritate deviat. Si posterius assumunt Adversarij, tum ex professio contra scripturam illud proterve defendunt, ut quæ consedissem carnem ad dexteram clara litera profiretur. Sessio autem sine usurpatione quomodo consistet cum

*Dextera**Dei quid**Psal. 18, 36.**& 67. vers.**9. In libro**contra cele-**stes Prophe-**tas.*

cum eoisso a quid possidere dicitur, quia illud alter habet & possidet quod de dextera Dei quoad Humanam naturam recte profitemur.

27. Secundum Argumentum in hanc formam potest colligi. *Quodcumq; corpus post glorificationem non est factum Deus, illud omniprensens non est. Sed corpus Christi post glorificationem non est factum Deus, Ergo corpus Christi omniprensens non est.* *2. Argumen-
tum.*

Respondeo. 1. In hoc Argumento propter similem illationem eadem occurrunt vitia, ea propter responsiones generales ad prius Argumentum data hæc adferri possunt. 2. Distinguo inter omnipresentiam *ut dicitur* alicui competentem & propter Unionem Personalem ex gratia alicui collatam. Propositio de illa non vero de hac omnipresentiæ specie loquitur, quæ argumentatio à scopo est aliena. Nunquam enim nobis ne per somnium in mentem venit ut affirmaremus sanctissimam Christi alteram naturam, videlicet Humanam sua essentia aut per essentiam sine proprijs & natura infitis viribus esse ubiq; presentem; sed constanti animo & maxima cum fiducia in sacris literis edocti affirmando docuimus & docemus, hoc attributum Divinum uti &

si & alia Assumptæ naturæ non compete-
re per essentiam sed ex gratia Unionis esse
illi datam. Alit id quod per essentiam Deus
est, non est omniprærens per communi-
catam omnipotentiam, sic enim Deus
verus non esset, sed per modum divinum
essentia ipsi & natura competentem: quo-
modo natura Assumpta omniprærens
non est; sed una illa omnipræsentia à Di-
vina natura sibi communicata ex gratia
nobis prærens adest; pios in bono pro-
moveret, impios, vero furientes punit. 3.
Major simpliciter est falsa; quam Con-
fessio probare tenetur. Nam quemad-
modum Carnis Christi non mutatio non
obstitit, quo minus unio facta duarum
naturarum fuisset: ita non impedivit ut
hæc natura propter Unionem, omnipræ-
sentia particeps facta esset. *Anegatione e-
nim mutationis, ad conversionem omnipræsentie
Carni Christi communicata, absurda infertur il-
latio.* 4. Patres non verentur propter
Unionem & naturarum de se invicem,
prædicationem; sicut verbum factum esse
carnem; ita è converso Carnem factam
esse Deum dicere: quod etiam natura in-
usitataram prædicationum, ubi recipro-
cè extrema de se invicem prædicantur,
nos docet. Lubricum igitur fundamen-
tum

tum pro firmo sumit confessio. 5. Talis
fœtus rationis si crebro usurpandus est
aut si usurpari debeat, tum profecto o-
mnem mysteriorum veritatem enervabit.
In simili enim forma ita arguor. *Quod-
cumq; Corpus post factam unionem non est factum* *Instantia.*
Deus, illius sanguis in remissionem peccatorum non
est effusus. S: a Corpus Christi post factam Unio-
nem non est factum Deus. Ergo Corporis Christi
sanguis in remissionem peccatorum non est effusus.
Conclusio est contra scripturam Matth.
26, vers. 28. Igitur viciosa alterutra præ-
missarum. Non minor, ut quam & ipsi cõ-
cedimus, si factum esse idè est quod mutari
sive per transmutationem fieri Deum. Er-
go Major, quam pro vera assumit Confes-
sio: Quicquid igitur ad talia misera ratio-
nis ratiocinia responderint Adversarij idè
illis repono. Sed tutius est hic illud Au-
gust. de gen. contr. Manic. l. i. arripere:
Compestat se humana temeritas, & illud quod non
est non querat (neq; dicat) ne illud quod est, non
inveniat. Quia ergo curiositas nulli profuit
in natura, propterea nec à nobis erit se-
ctanda; scripturam teneamus, ex hac argu-
mètemur, neq; pro placito nostro ea quæ
Spiritus S. subordinavit, opponamus; Nā
scite Hier. in epist. de duob. filijs: *ait nugas*
tenemus, & fonte veritatis amisso, opinionū riva-
los

los confectamur, dum curiositati indulgemus. 7. Utrumq; scriptura augustissime adstruit & quod naturarum nulla facta fuerit mutatio, sive quod idem est Humanam in Christo naturam post glorificationem non fuisse factam per essentiam. Deum, quod alicubi probatur, & quod illa propter omnipresentiæ communicationem, sit omniprensens. Ubi itaq; nulla est oppositio, male fit, quod ibi quæratum dissidium, Posterius effatum jam supra fuit evictum. 8. Ut infirmitas Argumenti Calviniani eo melius appareat dabo clarioram instantiã, pro evertendo argumento: *Quodcumq; Corpus post glorificationem non est factum Deus, illud ad Dexteram Dei Patris non consedit. Atqui Corpus Christi post glorificationem non est factum Deus. Ergo Corpus Christi ad dexteram Dei Patris non consedit: Conclusio etiam Confessione est absurda p. 68. Igitur Præmissarum alterutra, non minor, igitur Major. Quicquid itaq; loco responsi dederint Adversarij ad hoc Argumentum, idem ipsis repono.*

28. Tertium argumentum Calvinisticum tale esse potest. *Quodcumq; corpus non deposuit proprietates suas post glorificationem, illud omniprensens esse nequit. Sed corpus Christi non deposuit proprietates suas post glorificationem. Ergo Corpus Christi omniprensens esse nequit.*

Respon-

Respondeo. 1. In simili forma & ego sic argumentor. *Quodcumq; Corpus non deposuit proprietates suas post glorificationem, illi 1. Omnipotentia dari non potuit. 2. Clausis januis ad discipulos non venit. 3. Dominum in medio inimicorum accipere nequivit. 4. ad dexteram non consedit. 5. Ascendere ad cælum non valuit. 6. Super maria non ambulavit.* Ratio est in promptu quia & hæc omnia non nisi divinæ sunt virtutis quæ à nulla nuda creatura præstari possunt. Sub fumo. *Atqui Caro Christi non deposuit proprietates post glorificationem. Ergo. Quicquid responderint Calviniani idem ipsius repono.* Et si illud argumentum Calvinianum habet vim concludendi, tum profecto & hoc nostrum; quia & quo ad formam cum eodem convenit & quo ad materiam. Sed apage istas absurditates tantis per conclusionibus qualibus qualibus inferte, ne id quod manifestè & in schola Calviniana est absurdum inferas. 2. Distinguo inter proprietates Carnis Christi *Constitutivas & Consecutivas.* Illas post factam glorificationem nec deposuit nec deponet: has utiq;: quo refer post ascensionem & sessionem ad dexteram Dei Patris localitatem, visibilitatem. Corpus enim Christi post glorificationem est Corpus *invisibile*, sive spirituale uti etiam nostra Corpora post glorificationem talia futura

Instantia.

Proprietates
Corporis C.
amplius.

3. Argumen-
tum Confes-
sion.

futura sunt; adeoq; non est proportio-
 natum objectum nostris oculis, ut qui in-
 firmitatibus sunt subjecti, neq; amplius
 possunt hanc Corporis glorificationem
 donec tales fient cernere. Distingue igitur
 semper inter actum Primum & Secun-
 dum, qualitatum istarum sive Proprio-
 rum; illo modo hæc non separantur si
 cursum naturæ consideras; hoc vero se-
 parantur ita ut nec actu aliquid videatur
 neq; etiam palpetur, per divinam poten-
 tiam & modum super naturalem. 3. Major
 Argumenti Calvin. loquitur tum de con-
 stituentibus proprietatibus tum etiam de
 consequentibus: Minor vero de conse-
 quentibus tantum; est igitur terminorum
πλεωνεξία in hoc argumento. 4. Laborat
 sophismate non causæ ut causæ. Nam non
 proprietatum depositio, sed arctissima u-
 nio, & ad dexteram Patris quoad hanc Car-
 nem tantum facta collocatio sive exal-
 tatio: & post hanc omnipræsentiæ commu-
 nicatæ facta usurpatio fecit ut caro Chri-
 sti unâ cum λόγῳ sit omnipræsens. 5. Ar-
 gumentum hoc & similia ex rationis cæ-
 cæ circo est petitum; ea propter rei in
 Theologia fundatæ nihil derogat. Nam
 si ex Calviniano quæras unde nam sciat
 quod proprietates suas Caro Christi non

de

deposuerit, regeret, quia amplius Caro
 esse desineret. Sed quid hoc aliud est quam
 judiciales regulas ex alieno circo in my-
 steria adportare ac ex illis de mysterijs ju-
 dicialium fieri velle. Verum indignum est ad
 eam legem opera Dei redigere, ut simul, ac eorum
 ratio nobis non constituerit improbare audeamus,
 docente Calvino. 3. Instit. cap. 25.
 Sect. 4. 6. Hæc Confessionis *μὴ γινώσ-
 ζία*, non est adeo difficilis armaturæ, qua-
 si multum præsidij ad ipsos accederet, si
 evincere possent, nullam factam esse pro-
 prietatum depositionem, cum & nos fate-
 amur quoad actum primum istarum
 mutationem nullam esse factam. Auc-
 tiorum parum aut plane nihil hoc gladio
 hebeti se adjuvabunt; Proferant dicta
 scripturæ si triumphare satagunt; ex his
 enim Apodictica argumenta in arduis
 controversijs Theologicis solum ducun-
 tur; quod quam diu non faciunt & se-
 cundaria quædam tantum aut quæ de-
 clarationis ergo adducenda essent post-
 quam jam de re ex scriptura constaret
 adducunt ridemus & ipsos ita frigide
 disputantes, & ipsorum argumenta,
 quæ ex foro alieno in aciem dimi-
 cationis collocant. 7. Majorem nego-
 Nam si proprietates illud Corpus glorio-
 sum

sum mutasset sive deposuisset (puta essentialia & quoad actum primum) tum in nihilum redactum fuisset adeoque sic nec in cælum ascendisset, neq; ad dexteram Patris confedisset. Negatio enim proprietatum essentialium quoad actum primum, negat ipsam rei essentialiam: id quod nunquam ab aliquo orthodoxorum affirmatum fuit. 8. Pro bent Calviniani si possunt consequentiam Majoris, quod, quia Corpus Christi non deposuit proprietates suas, propterea non sit omnipræsens; est enim hæc quam falsissima hypothesis; Nam ego Majorem potius in ipsos met retorqueo; & dico: *In Corpore Christi nulla facta est proprietatum mutatio; Sive: Corpus Christi proprietates suas essentielles non deposuit quoad actum primum, & tamen est omnipræsens; quia se nobis omnipræsentem in scriptura manifestavit, Matth. 28. & cap. 18. cui nos firmiter inhæremus. Tam diu itaq; major vacillat quam diu probata non fuerit quod officij genus redundat in confessores.*

29. Plura observare ex lectione istius libelli, quæ pro confirmanda sua sententia Confessores apposuissent non potui; Nec diligentior lector censeo plura conquirit in hoc Articulo: quæ autem argumenta

de

de Cœna Dn. pro sua sententia roboranda adducit, illic ea pertexam. Nihil igitur moramur calumniam Confessorum, qua nobis non scio quam dissonantia & pugna notam adurere, funestumq; nos invicem bellum in controversia hac ducere, quo non consensus, sed domesticus significetur dissensus, adscribere allaborant. Hunc morem observare Sophistas perbelle teneo, qui dum ipsis non saperunt Argumenta propriiunt sese ad crimina, Calumniantur ut se aliquid scire ostentent, non apud doctos sed rudes, qui ut facili sunt ingenij homines, ita levis Fidei; Sed non est necesse ut Adversarij neglecta trabe, quam in oculis habent hærentem tam claris oculis nostram, si quæ est spectent festucam. Secum prius conveniant de controversijs multis in hoc Articulo, sic nos postmodum accusare, modo fiat juste poterunt. Si quæ inter nostros Theologos adhuc est disconvenientia, ea non est Fidei, sed vel questionis tantum vel disputationis & phrasim; non vero fundamenti; adeoque conveniunt in re, sed forte si ita res habet, quod ego tamen nec dum observavi; dissentiant in verbis. Ast vestra pugna boni Adversarij est in fundamento, id quod ab alijs

E

hactenus

Retorfo Argumentum in Adver.

hactenus ostensum fuit; Nolite igitur superciliose de convenientia inter vos gloriari, quia ea nulla est, ex quo occasionem caperet calumniandi alios. Sed prius invicem conveniatis si potestis. Et profecto pugnam istam nondum nobis ostendere potuistis, neque ostenderis si vel omnes virium nervos in id intendatis. Meliora igitur verba post hac quaeso confessores, & a nobis similia audietis.

SECTIO IV. MEDITATIONEM PRACTICAM EXHIBENS.

In Christo est omnis excellentiae plenitudo & sufficientia. ut scite Cyprian. Sermon. de Ascensu loquatur. Ubi enim undiquaque plena ac referta est omnis mensura sufficientia, illic est plenitudo sine defectu. In Christo autem talis est quippe cum ipsa Deitas sit illa plenitudo, quae in Carne Assumpta velut in proprio templo habitat; in qua sufficientes est sine carentia perfectitudo, est sine accretione exuberans plenitudo. De quibus, *si tibi quarenti incidit dubitatio, profer eidem quae est promptissima solutio;* ait Damascen. in expos. Fidei. Haec plenitudo facit, ut totus Christus nobis praesens adsit his in terris viventibus & qua Homo & qua Deus

Deus est: *Quod si nescis quomodo fiat, des haec potentia Dei,* ait Chrysof. h. de Baptif. Ex hac Christi & quoad Carnem ejus apud creaturas praesentia, quam praecipuae exhibet Ecclesiae Militanti dulces pullulat consolationes. Nam totius Christi haec praesentia.

1. *Unionis mystice confirmat.* Verbum carnem esse factum credimus Divinis moniti oraculis: non quidem conversione carnis in Deum aut Deitatis in Carnem, ut habet Athanas. Symbol. sed assumptione Humanitatis in Deum. *Gloria enim Humanitatem non tollit sed extollit, non interficit sed perficit* ait Gerson. Haec unio facit ut Homo dicatur Deus esse & Deus Homo vere ac realiter: propter hanc caro Christi portio nostrae carnis sanctissima omnium divinorum idiomatum participat: subsistit non *per se* sed in Hypostasi & λογος, unde pullulat quod jam hac hypostasi infinita ubique est praesentissima, & extra omnem locum eversa. Si hanc praesentiam carnis Christi Calviniano Spiritu negas, Unionem duarum in Christo naturarum & negas & solvis; tollitur enim illa quando communicatio proprietatum negatur. Quisquis itaque es qui Spiritu Dei duceris indubitanter haec credas; si contra unionem negantes masculule olim pugnare gestis: Sic fiet tandem.

Consolationes pullulantur ex praesentia.

Ô fidelis anima ut tibi certanti pro unionis veritate & proprietatum communicatione tribuatur victoria, & triumphanti apponatur corona.

2. Fidem certificat.

2. *Fidem certificat.* Objectum nostræ Fidei esse creditur Jesus Christus verus Deus & verus Homo qui in temporis plenitudine ex muliere natus ac pro nobis est mortuus, triumphando de morte inferno & diabolo: qui etiam est author salutis & vitæ usq; adeo, ut non sit aliud nomen sub cælo datum inter homines in quo oporteat nos salvos fieri Act. 4, vers. 12. At vero hæc Fides redditur languida & dubia, ni credatur Christi Hominis præsentia. *Languida* fit propter unionis solutionem, quam præsentia negatio enervat; *Dubia* fit, si promissionibus divinis quoad literalem sensum nihil erit credendum, quibus Salvator noster Jesus Christus de suavissima sui in ecclesia militanti præsentia abundè testatus est, sed hæc omnes in adulterinum & alienigenum sensum rapiantur ac quæ totius Christi præsentiam referunt, eas tantum quoad Deitatem Christi interpretemur, talis enim scripturæ elusio, nil est aliud quam Fidei eversio. Quisquis itaq; es qui amas vitam, cælestem Patriam; Fidem retine firmam

ac

ac stabilem: parum aut nihil tribuas humanis elusionibus adhæreas potius oraculis cælestibus; si vis plaudere postulantem Fidei firmitatem, cum martyribus.

Evadinas

3. *Afflictiones, ac arumnas mitigat.* Verè Christus nostrum est solatium, in afflictionibus refugium ac in tribulationibus asylum. Hoc ^{in absentia} cre-
dicant, virtutes exarantur, Fides languida redditur, & multis ac infinitis malis, velut mortis terrore, agonis horrore, pœnarum formidine, circum septi terremur. Has vero in pijs mitigat realissima totius Christi præsentia, dulcissima assistentia, ac gratiosa piorum custodia. Adest vero nobis præsens totus Christus non dimidiatus, adeoq; etiam secundum Humanitatem suam, quia nostri curam totus agit, noster redemptor ac Mediator totus est. Nam & secundum Humanam naturam regnat à mari usq; ad mare & terminos terræ, Psal. 72, 8. secundum hæc quoq; dominatur in medio inimicorum suorum. Psal. 110, 2. Non est igitur cur tantisper angore conficiaris Ô mens pia: habes Christum præsentem secundum illam quoq; naturam secundum quam est caro de carne tua, & os de ossibus tuis. Affli-

mitigat.

E 3

ctio

54 DE OMNI. CAR. CHRISTI.

Etio itaq; te non extenuat, quia hanc Con-
solator noster Christus Jesus præsentif-
simus mitigat. Devolve igitur ad Domi-
num viam tuam, spera in eum & ipse fa-
ciet Psal. 37. 5.


4. Agony.
felicissimum
largitur.

4. Agony felicissimum largitur. Beati sunt
inquit Spiritus S. qui in Domino mori un-
tur. *1. p. 1. c. 12. Moritur autem in
Domino apud quos Deus requiem invenit & in
quorum tabernaculis requievit ait Bernardus. c.
1. Medic. O felix igitur Anima, quæ Chri-
sti es habitaculum, & præsentia ipsius
domicilium; hanc vanitates mundi non
arripiunt, ignorantia non habent, ha-
ereses non seducunt, sed semper tuta manet
sub alis Redemptoris sui Christi; cui ipse
diem mortis denunciat, in morte solatio
ipfi est; cavet a seductione vindicat a Sa-
thanae accusatione & mortis terrore, ean-
demq; per mortem velut per somnium in
gremium suum suscipit. Quid verò si præ-
sentiam ipsius negaveris? Nihil horum
ad te promanat, sed horrenda visiones,
tremendæ accusationes ac inferni terro-
res te manent. Cave ergo pia mens ita si-
nistrè de præsentia Servatoris tui sentire,
si cupis in cœlestibus cum illo regnare:*

August. in
Soliloq. c. 36. *Vbi ipsam videbimus, amabimus, laudabimus:
videbimus lumen inaccessible, lumen increatum.
lumen*

DE SACRAM. IN GENERE. 55

*lumen veridicum, lumen divinum, quod illumi-
nat omnes oculos Angelorum, quod lætificat
juventutem sanctorum, quod est lumen luminum,
& fons vite, quod est tu Deus meus, Amen.*



EXERCITATIO II.

DE SACRA- MENTIS IN GE- NERE.

SECTIO I.

DE USU ET NOTATIONE VOCIS SACRAMENTI.

1. *Necessaria admodum & fructuosa
est doctrina Sacramentorum; quia hæc
velut thesauri & pignora sunt Fidei eccle-
siae commissa; quorum usus & effectus
quoscunq; homines non manet, illos nec
cœlestis vita manet: doctrina igitur ho-
rum Christianis necessaria scitu est & uti-
lis quam qui integram non tenet, nimis
ecclesiae Christi civis est frigidus, ut qui
ea quæ sui essent officij ignorat. Ea pro-
pter hac vice de Sacramentis disputaturus*

*Necess. doct.
de Sacra-
ment.*

56 DE SACRAM. IN GENERE.

considerabo. 1. Vocis notationem. 2. Sacramentorum definitionem. 3. Eorundem materiam. 4. Formam; 5. Finem, ea qua fieri poterit brevitate ac perspicuitate.

Appellatio Sacramenti. 2. Sacramenti appellatio apud varios est varia & multiplex. *Varro* l. 4. de L. L. eodem Sacramenti deducit à *Sacro*, quia duo certantes, qui mos olim à veteribus observatus fuit, pecuniam apud Pontificem deponebant & victor suam partem tollebat à *Sacro* detenta interim victi pecunia ac in ararium reposita. *Vegetius* l. 4. de re Milit. à *Sacrando* deducit, quia olim hic mos observatus fuit, ut milites duci suo Sacramento juramenti obstringerentur. Et hanc derivationem cum *Flacio* in *Clavi* scripturae Col. 1600. optimam esse judico. Quemadmodum enim ab ornando, ornamentum, à jurando juramentum, à testando testamentum, sic à *Sacrando* Sacramentum descendit. Sicuti enim milites fidelitatem suam duci juramento promittunt, ad quam exequendam postmodum jure obstringuntur: ita Christiani per usum Sacramentorum, Christo duci jurant, suamque fidelitatem promittunt, quod sub vexillo ipsius, contra *Sathanam*, carnem & mundum semper,

DE SACRAM. IN GENERE. 57

per maxima cum fidelitate decertaturi essent, Christo interim ipsis cooperante.

3. Significatio vocis Sacramenti, alia est *Prophana* alia vero *Ecclesiastica*. Apud *Prophanos* duo cum primis significabatur voce Sacramenti. 1. *Juramentum* in gene-

re & quidem juramentum militare. Hinc apud *Cicer.* illi dicuntur obligari secundo Sacramento militiæ, qui jure priori amisso, amplius cum hostibus congregari & punire non valent. 2. Appellatio hæc notabat *Pecuniam*, quæ à duobus litigantibus deponeretur, apud Pontificem pignoris loco, eo fine ut qui vicisset suam partem reciperet, qui vero causa cecidisset, hujus portio sive pars cederet in ararium.

4. Apud *Ecclesiasticos* triplex cum primis vocis Sacramenti est acceptio. 1. *Generaliter* notat rem arcanam & secretam, à *Græcis* *μυστήριον* dictam ut *Daniel.* 2, 18. & 19. ubi vulgata versio retinuit vocem Sacramenti. *Tob.* 12, vers. 6. *Matth.* 13, vers. 11. *Marc.* 4, vers. 11. *Luc.* 8, vers. 10. *Rom.* 11, vers. 25. *Apoc.* 1, vers. 20. Et hujus acceptiois & ipsa *Confessio* meminit p. 133. 2. *Specialiter*: apud quosdam Scriptores *Ecclesiasticos* est idem quod rei sacræ signum, veluti apud *August.* *E-*

pist. 5. ad Marcel. Et l. 10. de C. D. c. 5. & contra Faustum l. 19. c. 11. 3. *Specialissime & proprie*, notatq; actionem solennem, quæ in Scripturis peculiari verbo institutionis est demandata, habetq; promissionem gratiæ adjunctam, adeoq; in hunc finem est instituta, ut promissionem gratiæ in Evangelio obsignaret. Pervisibilia enim signa & elementa, Evangelij promissio propria nobis in solenni actione Sacramentorum solet obsignari & applicari. Atq; in hac postrema acceptione Sacramenti vox est ἀγαλλοῦ, à Patribus tamen accomodata & huc est applicata propterea, quia optime rem exprimitet ad naturam istius actionis sacrae quam proxime accedit.

*Confessionis
Instabilitas.*

5. Hic merito est taxanda Confessionis instabilitas, quæ p. 133. tres Sacramentorum ex æquo competentes annotat significationes. 1. Sacramenta dicit esse signa aeterna, quæ acceptio, ut generalissima locum hic, licet quandam cum propriissima acceptione cognationem habeat, habere nequit. 2. Ritus sacros, sed & hæc est communis, quia alijs quoq; rebus sacris attribui potest bono fine. Et si hæc acceptio retinenda triumphabunt Pontificij in obtinendo Sacramentorum septenario numero: quid verò hoc est
quam

quam erroribus alienis patrocinari. Neq; vero brevitatis libelli obstat. Nam ideo debuisse tantum genuinam Sacramentis acceptionem inferere potius Confessio relictis alijs. 1. Quia id compendiositas requirebat. 2. Necessitas efflagitabat; dum enim in vernacula ipsorum lingua hæc Confessio legitur ab illis qui nondum satis exacte tenent controversias, tum profecto ibi propter multitudinem significationum cui adherere debeat lector quærit, atq; hic scrupulus ipsi injicitur ex quo se expedire nequit. Accedat postmodum colloquium aliquod cum Pontificijs, & quidem doctioribus, tum is facile ibi seducitur præsertim si ipsi ostendatur, Confirmationem, Extremam unctionem, &c. esse ritus sacros quos ipse negare non potest. 3. Actiones Sacras. Neq; tamen hæc significatio locum habere potest in Confessione. Nam 1. priores illam falsificant & latissimè pro quibusvis Christianæ Fidei rebus sacris usurpandam docent. 2. A Equivocatione ludunt Confessores hac acceptione Actio enim sacra, externa illis est ceremonia, nihilq; aliud notat quam visibile signum; & hoc est illud portentum æquivocationis, cum Actio sacra ambitu suo notat totam illam solennem conti-
nuatio-

60 DE SACRAM. IN GENERE.

nuationem, in qua cum elementis cœlesti modo res cœlestes conjunctæ, usurpantur à Sacramento utentibus & Fidelibus gratiæ promissio applicatur & ob signatur. 3. Actioni huic vel nullum vel exiguum effectum largiuntur, cum ita loquuntur de his rebus sacris ac de nudis signis; omnia proprie dicta tropicè & significatiue tantum dici de his rebus Sacramentalibus interpretantur. Quod quam longe aberret à Janua veritatis suo loco declarabo. Ut itaq; uno verbo dicam, Sacramentum proprie dictum, Confessioni non est actio sacra, nec proprie dictum Sacramentum, quia vocem Sacramenti inde terminatè sumit.

SECTIO II.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

6. Sacramentum proprie definiri posse negant quidem Pontificij & imprimis Bellar. l. r. de Sacram. cap. 10. sed sine præstantibus rationibus; quas ut alicubi à Theologis nostris refutatas hic de novo repetere non lubet; Præsuppono itaq; hypothefin ut alicubi probatam ab alijs Sacramentum definiri posse, qua præsuppo-
fita

DE SACRAM. IN GENERE. 61

sita ita cum Beatæ memoriæ Leonhar. Huttero D. & Theologo quondam celeberrimo, Sacramentum definio.

7. *Sacramentum est actio sacra divinitus instituta, cum elemento sive signo externo tam re cœlesti constans, qua Deus non solum ob signat promissionem: gratiæ. hoc est, gratuita reconciliatio- nis, Evangelij proprium: sed et in bona cœlestia in singulorum Sacramentorum institutione promissa, per externa elementa, singulis Sacramento u- tentibus vere exhibet, fidei libus autem salutari- ter applicat.* Definitio hæc quatuor constat causis, quas ordine in sequentibus pertexam. Hic genus Sacramenti evolvere placet.

8. Sacramentum esse actionem sacram nemo nisi qui pro cerebro peponem habet, negabit, quæ vicem generis legitimi ac proximi in nostra definitione tenet. Duo vero cum primis hic denotat actio.

1. Δόσις dationem quoad Ministrum porrigentem sive exhibentem qui Dei vicem gerens, cujus ipse Personam refert, Sacramentorum, Deo sic ordinante est Dispensator. Quo respectu illi vocantur σωμαργῶντες, cooperantes Deo 2. Cor. 6, vers. 1. & Dei σωμαργοί 1. Cor. 3, vers. 9. 2. Λύσις, Acceptationem, respectu Christiani sumentis, propter quem hi thesauri cœles-
tes

Act'ionis ac-
ceptio du-
plex.

stes à Deo sunt ordinati, ut illis legitime utatur, Fidem ex usu genuino nutriat, in dies Christo inplantetur, adeoq; omnia Christi beneficia sibi applicet. Legitimum autem hoc esse genus Sacramenti, ita probo rationibus sequentibus.

*Argument.
genus Sa-
cram. pro-
bantia.*

*1. Desumi-
tur à nomi-
nis appella-
tione.*

9. 1. *Desumitur à nominis appellatione.* Sacramentum esse actionem sacram apud omnes est manifestum cui subscribit & Confessio p. 133. unde sic colligo. *Quodcumq; notatur ipsa nominis appellatione illud ipse rei est tribuendum. At Sacramentum esse actionem sacram notatur ipsa nominis appellatione. Ergo Sacramentum esse actionem sacram est dicendum.* Major per se est firma & extra omnem controversiam posita, quia nomina sunt rerum signa sive formæ, quibus res id quod sunt declarantur: nulla vero sic foret certitudo de rebus si aliud nomina rerum aliud item innuerent res ipsæ. Ea propter ut res significantur per nomina ceu per formas suas, ita etiam in re veritate existunt. Minor probatur inductione singulorum Sacramentorum. Sic *Baptismus* est asperio aquæ quæ est actio. *Cæna Dominica*, benedictio, distributio, manducatio & bibitio. Sic *V. T.* Sacramenta ut *Circumcisio* est actio, nempe amputatio pelliculæ. *Agnus Paschalis*

lis

lis est actio, consistens in mactatione, allatione & manducatione. *Omne igitur proprie dictum Sacramentum est actio.

10. 2. *A Sacramentorum institutione.* Legitimum desumitur iudicium de quavis re sacra, verbo certo mandata ex fede propria & institutione; & quæ de illis inibi mandantur retinenda, quæ vero non fugienda sunt. At singula Sacramenta in institutionibus proprijs actionibus celebranda proponuntur, uti jam fuit ostensum. *Aut igitur institutiones rerum Sacrarum à Deo ordinatarum erunt firmæ aut infirmæ.* Si prius assumunt, agnoscant tandem adversarij Actionem sacram legitimum esse genus Sacramenti. Si posterius, tum nulli esse debet mirum si infirmis intellectu Calvinianis, infirmæ esse videantur Dei ordinationes mysticarum istarum rerum; ea de causa etiam cum illis multum non rixandum ne in totum infirmi reddantur. Unde sic infero.

Dilemma.

Quicquid exquisitè prærequirit institutio divina illud Sacramentis negandum non est. Sed actionem sacram in Sacramentis exquisitè prærequirit institutio Divina. Ergo actionem sacram in Sacramentis esse negandum non est. Præmissæ nõ negantur; Nam actio est quædã forma communis Sacramenti, quæ in definitione

tione

tione actionum rectissime includitur generi, atq; sic ex æquo de omnibus suis speciebus prædicatur. Jam autem communis formæ Sacramenti consistit in actione, qua sublata, Sacramentum amplius esse proprie dictum nequit. Si autem forma hæc communis postmodum certis objectis & circumstantiis determinatur, fit uniusvis Sacramenti propria forma. Non igitur illatio quoq; neganda.

9. A Ministris
administrati-
one.

11. 3. A ministris administratione. Hic My-
steriorum Dei dispensator rectè à Spiritu
S. nuncupatur 1. Cor. 4, v. 1. quia vicem
Dei sustinens opera exequitur divina. Ita
in Sacramento Baptismi infantem aqua
perfundit quo opere regenerationem ac
renovationem quæ fit in & per Baptismum,
instrumentaliter operatur. In Cæna D.
Corpus & sanguinem Christi mediantibus
Pane & Vino distribuit, quibus gratia
Dei obsignatur & confirmatur. Stat itaq;
inconcussa thesis nostra, qua docemus
Genus Sacramenti esse actionem sacram.

2. A testimo-
nijs Adver-
satorum.

12. Accedit huc 4. propria Confessio
quorundam Calvin. qui non verentur has
appellationes usurpare, Sacramentaq; cer-
to & expresso verbo actiones vocare. Vide
Bucan. loco 46. p. 566. Treleatium in Insti-
tution: Theolo. 1. 2. p. 97. Cum primis
vero.

vero notandum est testimonium Petri
Martyris, qui scribit Class. 4. locor. com.
cap. 10. Sect. 36. quod: *Sacramenta tota in
actione consistunt, qua sublata non amplius sunt
Sacramenta.*

13. Rifum cuius conciliare inspectio
& diligens examen generis in Confessio-
ne positi potest. Nam modò se qualiter-
cumq; attigisse rem censeantur Confesso-
res; varia conglomerant genera, ut unum
è multis si omnia non possent arte, quam
ipsi norunt, defenderent pro ipsisq; facere
ostenderent; quod ipsorum factum an-
non error sit Logicus, quæ & æquivoca
vitare in definitionibus jubet; & Unius
rei unum proximum & adæquatum esse
genus docet: quivis abundans diligenti
iudicio secum disquirat. Et mirum certe
est, cum alias *Argo* oculatiores videri vo-
lunt, quod ita halucinentur hic; nescien-
tes quid debeant in definitionem Sacra-
mentorum loco generis reponere; quæ
perfecto res ipsorum malæ causæ *σύμμιον*
est. Ut ut se jam res habeat, ipsorum sen-
tentiam nec approbo neq; etiam appro-
bare possum, ob rationes sequentes.

14. Sacramenti genus non esse ordi-
nem aut signum ita probo. 1. *Genus & spe-
cies in eodem sint Predicamento*, ait Philoso-
phus probatur.

F

1. Argum.

phus 4 Topic. c. 1. 5. *Seco ordo signum & Sacramentum non sunt in eodem Pradicamento. Et 3o ordo & signum non sunt genus Sacramenti.* Minor ex supra allatis est clara Sacramentum enim est actio sacra, quæ minime relatio dicenda, propter distinctam rationem categoriarum. Ordo vero & signum referuntur ad aliquid unde per modum Generis de Sacramento enunciantur nequeunt, neq; igitur ipsius generis vicem tenent. Major est ipsius Philosophi, quam rectissime in Adversarios vibro, quia B. Lutheri definitionem Cœnæ D. in minore Catechesi annotatam, hoc eodem Axiomate pungunt, licet frustra. Jam igitur proprio iugulo resistent si possunt. Hic observa distinctionem, quod Sacramenta considerantur vel quoad rem & *signa*: vel quoad *actum* & *fructum*. Priori respectu, quia in actione consistunt categoriam actionis incolunt: posteriori vero respectu, quia sumentes & utentes respiciunt relationem incolunt, quo etiã modo vocantur *signacula* velut gratiam Dei apud homines signantia. Nihil tamen patrocinatur Calvinianis hæc distinctio, quia hi in Pradicamentum Relationis Sacramentum reponunt quoad rem & *signa* ipsius, quam totam tantum in significatione

NB.

Observatio.

tionem consistere censent; cum natura Sacramenti in actione consistit, uti supra probatum fuit: alias si respectu usus & fructus eo referrent Sacramentum, tum facile in isto nobiscum consentirent. Adeoq; ut facilius percipiant quid velim, dico concessivè & non nego, Sacramenta ratione officij & finis esse signa & dici posse signa, quia significant, applicant, efficiunt & obsignant fide utentibus beneficia Evangelij propria: sed ea propter signum esse genus Sacramenti totus inficior; quia res ipsa ut ab officio distinguitur; ita Sacramenta à fine & officio suo; adeoq; signum quia non ad quidditatem Sacramenti refertur sed ad usum & finem, nequit generis vicem sustinere.

15. 2. *Quicquid excludit principalem partem Sacramenti, illud ipsius genus proximum & adequatum esse nequit. Atqui ordo & signum excludunt essentialem partem Sacramenti. Ergo ordo & signum ipsius genus proximum & adequatum esse nequeunt. Assumptum probatur; Quia nullum relatum est suum correlatum, neq; potest dici, sed correlati relatum de quo oblique prædicatur. Non enim dicitur: ordo est ordinatum, sed ordinatum est ordo; aut signum est signatum, sed signatum signum, adeoq; ex natura correlati*

2. Argum.

excluditur relatum & è contra, sed tantum in quodam respectu ad illud refertur. Quod si itaq; signum esset genus Sacramenti, annon excluderes alteram partem nimirum cœlestem è natura Sacramentorum? utiq; quia hoc relatio requireret adeoq; num non tandem nudæ res tractarentur in Sacramentis? quod quid aliud esset, quam naturam Sacramentorum enervare. Si igitur rei signata è sacramenta Adversarij per illud signum nudam exclusionem non cupiunt; prorsus hortor ipsos illi valedicant. Sin ea delectantur caveant ne cupientes naturam Sacramentorum à Deo institutam evertere, ipsi evertantur:

3. *Argumentum.* 16. *Immo genus exquisitum ad quidditatem rei pertinet. Signum autè & ordo ad quidditatem rei non pertinent: sed ad usum & fructum Sacramentorum, uti suo loco declarabitur. Ergo signum & ordo Sacramenti genus esse nequeunt.*

4. *Argumentum.* 17. 4. *Finis rei, non est genus rei; ratio est in promptu, quia finis essentiam non ingreditur; de genere vero hoc affirmari debet. At signum esse, significare, obsignare est finis Sacramenti & quidem minus principalis. Ergo non ipsius genus.*

18. Infimos itaq; relegamus genus hoc Sacra

Sacramenti remotum, quod Confessio pro germano agnoscit: quia 1. illegitimum est. 2. Remotissimum. 3. Non est de Sacramenti essentia. 4. Essentiam Sacramenti evertit. 5. ignotius est ipsa specie, cum Genus natura debet esse notius & prius specie.

SECTIO III.

DE CAUSA MATERIALI SACRAMENTORUM.

19. Definitionem hactenus declaravi quam excipit *Materia* declaratio: hanc in definitione nostra sequentia verba insinuant; quando Sacramentum signo sive Symbolo & re cœlesti constare dicitur. Unde juxta Irenæum l. 4. cap. 34. *Materia Sacramenti constituo geminam, Rem terrenam & Rem cœlestem; illa enim à Christo propter hanc ordinata est, & hæc per illam in legitimo usu Sacramentorum distribuitur.*

20. Elementa Sacramenti sive Res terrestres voco *Signa* verum non *significativa*, quæ tantum res cœlestes significarent absentes, sensus enim hic nusquam Patribus fuit notus uti patet ex

Materia Sacramenti.

Signa duplicia.

Theophylact. in cap. 26. Matth. ait *ueta. dōna* sive *exhibitiva*, quæ ad hunc sacrum usum destinantur & sanctificantur per benedictionem, ut mediante his res cœlestes, quæ sensibus non sunt expositæ, sed ab illis remotæ propter fragilitatē humanam, exhibeantur ac distribuantur singulis Sacramento utentibus. Neq; hoc pugnat cum natura signi ut aliquid sit signū & tamen rem præsentē exhibeat non vero absentē referat; Nam signū id est quod rei signatæ invisibilitatem, non autem absentiam præsupponit. Patet hoc in exemplo colubæ quæ erat signum Spiritus S. descendenti super Christum Luc. 3, v. 22. Hæc profecto & signum fuit Spiritus S. ut pote sub cuius specie externa descēdere placuit Spiritui S. & tamē non absentis sed præsentis Dei erat signum; adeoq; invisibilitatē tantum ipsius non autem absentiam, præsupponebat. Quam distinctionem eo diligentius observandam esse censeo, quo majori dolo ad decipiendos simplices & ipsa Confessio, voce signi utitur. Sed falsitas ut multiplex est & vertummosa ita multifariā cognoscitur, neq; tam cautē turpitudinem suam obregere valet, quin non si diligentius inspiciatur cōspici, possit. Nā si quæras ex Calvin. qualia nā cens-

seat

Signi natura non pugnat cum exhibitione.

Exemplum columba.

Quare distinctio signi tenenda.

seat esse signa Sacramenta, ane talia, quibus unitæ sunt res cœlestes præsentis realiter & reapse. Hic negativè ut respondeat necessum est: quia omnes uno censent res Cœlestes absentes esse ab elementis & non realiter præsentis, & in Sacramentis nihil minus exhiberi quam signa visibilia ex partibus essentialibus. Sūt enim propterea signa, putant illi, ut significant res absentes quorum sunt signa non vero præsentis; Quid autem hoc est aliud quam mera, pura, & pura elementa in Cœna à vescentibus sine rebus atq; sic sine applicatione; ob signatione & confirmatione gratiæ, tractare.

Quoties itaq; Calviniani Sacramenta vocitant signa, semper turpiter ad deceptionem simplicium abutuntur voce signi, subannuentes re intelligere mera & nuda elementa sine rerum cœlestium reali præsentia adeoq; Sacramenta dicunt esse non Sacramenta, sed res nudas.

21. Videtur autem & Confessio hanc sapere orthodoxiam, quia & ipsa tria ad Sacramenti constitutionem requirere autumat p. 133. 1. *Signa visibilia.* 2. *Significan-*

tia. 3. *Verba institutionis.* Verum dupliciter errat. *Primo in excessu*: quando & verba institutionis ad Sacramenti essentiam

F 4

refert;

Arctius part. 2. probl. p. 446.

Error Confessionis in materia in vestigatione. Duplex.

refert; quæ potius requisitum sunt Sacramenti quam pars alterutra constituens; quæ nobis præscribunt omnem actionis formam, usurpationis modum, & finem. Perperam itaq; pro parte, id quod requisitum est censetur, nam requisitum essentialiam rei nunquam ingreditur. Nam Materia Sacramentorum ipsi usui est destinata, verba autem institutionis de hoc usu sacro testimonium perhibent, & quæ in eodem sit res terrena quæ cælestis, in quem finem sit institutus, qualiterve & quam honorifice ac salutariter tractari debeat, nos docent: adeoq; ut uno verbo dicam, ritum talem certo objecto ac circumstantijs determinatum, verba institutionis nos docent à Deo esse institutum ad obfignandam ejus gratiam & promissiones Evangelij. *Secundo in defectu*, quia cum ex his constare censet Sacramenta verba tantum dat non res, adeoq; ore loquitur, corde vero dolum meditat. Nam si penitus mens Confessorum conuerteretur, eo adigi facillimo negotio possunt Confessores, ut tria hæc unum dicant imo se non pro tribus sed uno usurpasse fateantur. Atq; sic quis tandem Confessionem aliquid credit? cui, dum tria ponit, non sunt tria sed unum. Hoc tamen hic adden-

addendum esse puto; Non nego certo modo verbum institutionis pertinere ad constitutionem Sacramenti; juxta illud August. tract. 80. in Johan. *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? accedat verbum ad elementum & sit Sacramentum.* Sed quia aliud est *verbum mandati*, aliud *verbum Evangelij*, aliud deniq; *Institutionis*; ea propter hoc posterius in constitutionem Sacramenti refertur; quod tamen ipsum non consideratur vel ut est sonus transiens, non ut legitur vel recitatur, sed quatenus eximium & singulare quiddam idq; invisibile & internam promittit & signis visibilibus addit ut sic non tam verbum, quam res verbo contenta sit pars proprie loquendo Sacramentorum. Sed hoc nihil facit pro Confessione quæ verbum institutionis, signa & res signatas, in enumeratione partium Sacramenti opponit, adeoq; nudum verbum institutionis pro parte essentiali connumerat.

22. Fraus itaq; manifestissima est, ut libere dicam, quando Confessio ad alteram partem Sacramenti rem quoq; cælestem, sive ut illa loquitur, rem signatam refert. Si enim hoc exquisite seposito omni dolo statueret, corrueret profecto ex fundamento ipsorum doctrina, de Sacramentis

*Observatio.**Verbum quoduplex.**Quomodo verbum est pars Sacramenti.**Fraus Confessionis.*

cramentis specie, uti hoc ad oculum patet ex articulo de Cœna D. Quomodo quæso inibi altera pars Sacramenti est Corpus Christi apud Calvinianos, cum illud cœlo apud ipsos ita est inclusum & certo loco cœli sive angulo alligatum, ut amplius adesse non possit nec adesse velit ante diem extremum his in terris. Si itaq; hæc sententia vera est (puta veritate illa Calvinistica) perit illa essentialis partium in Sacramentis constitutio. Et si enumeratio hæc partium locum habet, tum jam cuius erit manifestum qualis illa sit veritas Calviniana, qua censent corpus Christi nunc tantum in cœlo esse, absurdè & præter scripturam docentes & propugnantes. Atq; sic ut uno verbo dicam Confessio sibi in os contradicit; & eandem sequentes Confessores, quia hoc propriè errantium est. Quod tamen non serio sed subdole, non sincere sed deceptorie atq; sic fraudulenter & insidiosè laqueum struens simplicioribus, nostris volens voltare pennas, loquatur Confessio, sic ostendo.

Rationes
probantes
infirmitatē
sententiæ Cal-
vinianæ.

I.

23. 1. Quicquid removetur à genere Sacramenti in Confessione appposito, illud pro Sacramenti materia venditari nequit. Sed res signata removetur à genere Sacramenti in Confessione

Confessione appposito. Ergo res signata pro Sacramenti materia venditari nequit. Assumptum probatur, impossibile enim est uno & eodem respectu aliquid simul esse & non esse. Si igitur Sacramentum est signum tantum & quidem nudum præfigurans & signans res cœlestes absentes tum profecto pro parte non potest habere rem cœlestem. Si itaq; res cœlestis sub signo continetur genusq; illud Confessionis utrumq; notabit & symbola terrena & res cœlestes, tum Sacramentum non erit signum nudum, sed offerens & exhibens præsentem res cœlestes. At hoc Confessio sine ruina dogmatis sui concedere non potest; largiatur itaq; nobis sub genere Sacramenti, puta signo, res cœlestes non contineri; atq; sic fraus ipsius palpatur, & cum dicit partem Sacramenti esse rem cœlestem verbo & phrasi, tum negat revera & reapse. 2. Quicquid pugnat cum doctrina Confessionis de manducatione Indignorum, istud hic contra conscientiam à Confessoribus assertitur. Atqui signatum esse alteram partem cœna pugnat cum doctrina Confessionis de indignorum manducatione Ergo signatum esse alteram partem cœna à Confessoribus contra conscientiam assertitur. Assumptum probo. Si enim pars foret Sacramenti, utiq; ipsi quoq; indigni hanc perciperent,

76 DE SACRAM. IN GENERE.

ciperent, cum Sacramenti integritas sine hac non consistit, quam illi etiam accipiunt. Ast indignos percipere rem quoque signatam Confessio pernegat; igitur contra conscientiam in partem alteram materiae, rem signatam quoque connumerat. Accedit 3. quod haec sententia sub inferat pugnam cum expositione verborum Cœnæ D. quemodo quæso sanabunt suam expositionem verbi *edite*, quam de solo Pane interpretantur. Si enim res signata erit pars Sacramenti Cœnæ, tum suo complexu verbum *edite* comprehendet utramque rem verbis Cœnæ significatam; atque sic mediante Pane manducabitur Corpus Christi, quod est contra Confessionem.

24. Pudere itaque debet Confessores, quod tam manifeste & secum pugnent & suis sub dolis abutibus simpliciores misere de fraudant. Quid quæso respondebit Calvinianus Discipulo ex se quærenti: An videlicet haec sententia qua Confessio in alteram partem Sacramenti refert ipsam rem signatam sive cœlestem congruat cum doctrina ipsorum de Cœna Domini, ubi Corpus Christi tanquam altera pars abesse à cœna & tantum in cœlo esse statuitur? Si affirmabit & qualem qualem concilia-

DE SACRAM. IN GENERE. 77

conciliationis subjecerit glossam miserum perdet misere. Sin negaverit, uti si conscientiam salvare cupit & hypoteses dogmatum suorum integras conservare satagit, cogitur, errorem tum tantisper verbis palliatum propalabit, cuius post hac Discens ille conabitur adherere. Haec itaque *αἰσχρολογία* hos asportat foetidos fructus. 1. Linguam habere bilinguem. 2. Esse duplici corde, & aliud ore aliud item voluere mente. 3. Secum digladiari sibi que contradicere, 4. Simplicioribus, sub verbis orthodoxorum venenum propinare, adeoque tribulos & spinas dare pro fructibus, quod Pseudopphetarum esse signum ipso Christo docente scio. Matth. 7, v. 20.

*Αἰσχρο-
λογίας στύ-
ξιν.*

SECTIO IV.

DE FORMA SACRAMENTORUM.

25. Forma Sacramentorum in Definitione posita est *actio* Sacra quæ circa Sacramenti objectum est occupata, quod verbo institutionis peculiari terminatur. Jam autem unum quodque Sacramentum peculiare verbum Institutionis sibi habet additum; atque sic peculiarem quoque administra-

*Forma Sa-
cramentiq.*

nistrationem, siue actionem aut Formam ob quam est & dicitur Sacramentum ab alijsq; discriminatur. Probatur hoc inductione omnium Sacramentorum; sic *Baptismi* forma, est Aspergio siue immersio Hominis in Aqua aut per aquam, in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti: *Cœna D.* est mediante Pane manducare Corpus Christi & mediante vino bibere sanguinẽ Domini. Adhuc modum se habent quoq; V.T. Sacramenta, quorum forma etiam in actione consistit. Adeo igitur firmum & ratum est formam Sacramentorum esse actionem, ut hoc singulorum Sacramentorum institutio comprobet.

*Argumenta
probantia a-
ctionem esse
formam Sa-
cramentorum.*

26. Et hæc ut vera ita sacris literis per omnia conveniens est sententia, quam hic multis probare opus non est duo tantum adijcio Argumenta.

1. *Forma est que dat esse rei, ut res sit id quod est. Atqui actio circa subjectum Sacramenti certo institutionis verbo determinata dat esse Sacramento. Ergo actio est Forma Sacramenti. & p. c. Quæ forma Sacramenti est illa actio & est & manet & esse debet; & quod actio non est forma Sacramenti esse nequit. Major est extra controversiam. Minor inductione Sacramentorum*

torum jam fuit probata Negari igitur illatio quæ recte inferitur, nequit.

2. *Quicquid exprimitur certo, verbo institutionis formam implicante, illud cujuslibet Sacramenti forma erit: Sed actio exprimitur certo verbo institutionis formam implicante. Ergo actio cujuslibet Sacramenti forma est. Et p. c. quod actio non est illud Sacramenti formam referre non potest. Majoris consequentia est firma: Nam non frustra sed ad denotandam formam, ea quæ Sacramentorum actionem subinnuunt verbis institutionis exprimitur. Minor th. 25. est declarata. Firma igitur collectio. Neq; obstat, quod Actio in definitione generis vicem teneat. Genus vero respondet materię non vero Formę; atq; sic nequit actio Formam Sacramenti notare. Distingendum enim est inter actionem communem & propriam. Actio communis est genus Sacramenti. *Ἰσχυρός* ita dicti, quia omne Sacramentum in actione consistit recte ideo per actionem etiam definitur. Actio vero Propria, hoc est, certo subjecto & alijs circumstantijs determinata, est forma cujusvis Sacramenti in specie considerati. V. g. Forma sacre Cœnæ est manducatio Panis bene-*

Instantia.

Solutio.

*Actio quorum
plex sit.*

80 DE SACRAM. IN GENERE.

benedicti qui est *κωρωία* Corporis Christi & bibitio Vini benedicti, quod est *κωρωία* sanguinis Christi. Manducatio & bibitio sunt actiones, sed generales, adeoq; generis quoq; vicem recte sustinere dicuntur, in qua latitudine respondent materiae. Ast manducatio istius Panis qui est, *κωρωία* Corporis Christi & bibitio hujus Vini quod est *κωρωία* sanguinis Christi sunt actiones specificæ & restrictæ ad certum objectum, sive materiam, circa quam hæ versantur; quo respectu etiam suppleant locum differentiae specificæ, atq; sic respondent Formæ. Logicorum enim hæc admonitio est, quod Actiones debeant definiri facta mentione subjecti objecti efficientis & finis quæ specificæ differentiae loco ad genus apponenda. Ut igitur constet Adversarijs, quid velim, breviter verbis Clarissimi & Excellentissimi Theologi Da. D. Balthasar. Meisneri Præceptoris mei æternum venerandi, rem omnem expedio: *Vii*, inquit, *ipsa manducatio & bibitio κωρωίς accepta, genus constituitur: Ita talis manducatio & bibitio in qua Minister Panem cum corpore, Vinum cum Sanguine servatoris Sacramentaliter unitum porrigit, & Christianus accipit. Forma & differentia Cæne specificæ rectissime indigitatur.*

Sobr. Phil.
part. 1. p. 191.

27. Sic

81 DE SACRAM. IN GENERE.

27. Sic veritate hac paucis sed firmissimis Argumentis comprobata, quid Confessio hac de re censet paucis subijciam cum succincta refutatione. Confessio quidem in hoc Articulo unius tantum Formæ Sacramentorum meminit, *significati- va* nimirum, qua censet per visibilia elementa adumbrari & significari res celestes absentes: in specie tamen ubi de singulis Sacramentis tractat refert etiam Fidem in Formam Sacramentorum præcipuè autem in Articulo de Cæna. Quod Confessionis factum miram generat metamorphosin rei unius geminam attribuendo Formam, cum ut res numero una est, ita unica etiam forma constet oportet. Sed quia hoc facit non prævia scriptura mirum non est. Ego hac vice pro utraq; demolienda pugnabo. Et i. ostendam, quod Analogia sive significatio Symbolorum sive Elementorum ad res celestes non sit Forma Sacramentorum, quod tamen magnis viribus & summa cum contentione conatur evincere Confessio. Verum laterem lavat labore. Ego sic contra ipsam inſurgo:

28. I. Quicquid pugnat cum Sacramento-
rum Institutione, illud pro forma ipsorum haberi
nequit. Sed Forma Confessionis in significatione non esse For-
sive m^a Sacram.

Argument.

probantia A-
nalogiam

G

sive analogia posita, pugnat cum institutione Sacramentorum. Ergo forma Confessionis in significatione, & analogia posita pro forma ipsorum haberi nequit. Assumptum probatur inductione singulorum Sacramentorum. Nam in Cœna Panis officium nequaquam est, ut ille adumbret aut significet Corpus Christi absens: sed ut hoc Pane mediante manducem ego Corpus Christi, verba Christi me instruunt & docent; & ut vino mediante sanguinẽ Christi bibam me instruunt. Pane igitur mediante corpus Christi manducare, & Pane corpus Christi adũbrari, annon hostiliter secum pugnant? Utrique: illud enim Schola proponit scripturam, hoc rationis cœcæ. Jam igitur si verbum *manducate* erit idem quod *credite* quod hic Panis significet sive adumbret corpus Christi, num nõ institutio invertitur? utique; quia in illa adumbratio tollitur, significatio profligatur, & nullius plane analogias, locus relinquitur; sed verba Christi clara & perspicua hæc sunt: *Accipite, comedite quid quæso, Panem quem fregit, & dedit, discipulis, & de quo pronunciauit: τὸ τῶ τοῦ σώματος μου: Hoc est Corpus meum* Matth. 26. v. 26. Est igitur Panis officium docente uos institutione Christi, ut ille sit medium, quo Corpus Christi sumimus uti & vinũ, quo

Panis Sacramentalis officium quod est.

quo sanguinem Christi bibimus; Taliter se res habet & in alijs Aut igitur in Cœna, ut declarationis ergo hoc Sacramentũ assumam, Panis & Vini officium erit ut his elementis sive in, cum, & sub his symbolis sive mediãtib; his symbolis res cœlestes nobis vescentibus sacra Cœna exhibeantur; aut non erit. Si hoc assumunt, tum 1. Christi verborum sensus non erit simplex sed figuratus, consistens in analogia Calviniana. *ἀπὸ 2.* Panem amplius Calviniani māducare non debent sed tantũ credere; quod ille adumbret absens corpus Christi. 3. Hoc opus hic labor erit Adversarijs hæc verborum interpretationem probare. Si illud, quæso Calvinianos analogiam illam institutionem Christi invertentem, & sermonem sanum evertentem jam tandem abigant, & sacris symbolis suum officium tribuãt. Nam profecto nil aliud est hac de re ipsorum sententia, quam mera verborum Christi simpliciũ depravatio, uti suo loco clarius patebit. Et quamvis actionem sacram requirere ad Formam Sacramenti quodammodo, censeat Confessio, quia in tanto formarum numero, quid velit præcise, colligere quis posset nisi in alijs verbis ipsius singulatim in Sacramentis appofitis: è quibus ego iudico *populariter tantum* Confessionem loqui nos immitã-

Dilemma.

do, non vero *exquisite* etiam supra hac de remonui.

2. Argum.

29. 2. *Cujuslibet Sacramenti forma exprimitur verbis institutionis. Sed Confessionis significativa forma non exprimitur verbis institutionis. Non igitur Sacramenti forma.* Assum. vicissim inductione Sacramentorum probatur. In Baptismo ablutio à peccatis in aqua per aquam & cum Aqua in nomine Patris, Filij & Spiritus S. quæ fit, notat actionem non significationem aut adumbrationem. Similis est ratio & in Cœna D. adeo ut nihil plane vel cogitari possit in Sacramentis, quod ad formam pertinens esset, & quò non actio connotaretur. Res fit in exemplo manifestior. V. g. In Cœna Domini, verba Institutionis immediate nos docent, quæ sic habent: *Hoc est corpus meum*, de quibus præcessit mandatum Christi, consistens in acceptione & manducatione, quod Panis sit corpus Christi, quæ phrasis est ecclesiæ, cur? quia illi Corpus est unitum: in quem finem, ut mediante hoc Pane Christi corpus vescentibus distribueretur. Actio igitur consistens in manducatione profluit ex ipsa institutione, adeo ut Panis non significet sed sit corpus Christi; quomodo; Sacramentaliter & divino modo. Jam itaq; si Panis Eucha-

Eucharisticus non amplius erit medium exhibitivum corporis Christi sed adumbrativum; quomodo salvabuntur Christi verba: Accipite comedite; Hoc est corpus meum. Amplius Confessio dicere non poterit: Accipite, comedite, &c. sed: *Accipite, credite: Hoc significat Corpus meum*; quia Panis absentis corporis signum est, quod ille post factam à Pastore benedictionem verborum recitatione adumbrat & significat; nequit vero aliquid significare, uti loquuntur quidam ex Adversarijs, rem aliquam præsentem sed absentem, uno igitur verbo rem omnem ut expeditam, significatio sive adumbratio, elementorum, in Sacramentis, non permanat aut eruitur ex verbis institutionis, propterea etiam formæ vicem sustinere nequeunt. Quicquid enim ad formam in Sacramentis pertinens est, verbis etiam institutionis cujuslibet Sacramenti proditum est.

30. 3. *Quòdcumq; Sacramento cum alijs foret commune illud pro peculiari forma Sacramenti vendicari nequit. Atqui analogia Confessionis in significanda consistens Sacrament. est cum alijs communis. Ergo analogia Confessionis in significando consistens pro peculiari forma Sacramenti vendicari nequit.* Major est extra controver-

fiam. Minor probatur: Nam quivis Panis & quævis Aqua potest significare & adumbrare juxta Calvinianos res cœlestes absentes uti illi volunt. Quotiescunq; enim vel Prandio assidet Calvinianus vel Cœnæ, tum illic per hanc ciborum præsentiam, corporis Christi manducationem spiritualement uti & sanguinis bibitionem, quæ Fidei, & potest & debet meminisse, quia & illic benedictio adhibenda. Et sicut in Cœna, ita speculantur extra verbū vagantes: Quemadmodum hic Panis coram oculis meis frangitur ita corpus Christi propter me in ara crucis fractum est. Et sicuti ego hunc Panem edo ad corporis refectionem (Panis enim hæc proprietas est ut reficiat corpus) ita interne Spiritus S. corpore Christi me Pascit ad vitam æternam. Quæ quidem meditationes in se non sunt impiæ, sed in hac controversia locum non habent. Pari ratione assidens mensæ aliquis ita potest procedere. Sicuti ego Panem hunc a te Deus meus mihi nunc elargitum manibus meis frango & manduco: ita corpus tuum in ara crucis pro me est fractum, & eodem me quotidie interne pascis per Sancti Spiritus operationem Fidei, ut indies tibi magis magisque implantarer, & ad vitam æternam animam quam mihi dedisti saginarem. Sic & quavis aqua

*Speculatio
Calviniana.*

*Allusio ad
Calviniano-
rum verba.*

aqua regeneratio nostra significari potest. At quæso te quid tandem singulare foret Sacramentis? Nihil plane. Sed quæcunq; in Analogiæ hujus latitudine usurpantur in Cœna D. ea omnia communia habebit hoc Sacramentum cum alijs; similis ratio est & in Sacramentis alijs. Analogia igitur hæc Calviniani essentialia Sacramenti, nimirum res cœlestes, prorsus tollunt, institutioni divinæ sese opponunt, & totum hoc sanctissimum mysterium enervant. Unicum vero hunc habent scopum, ut quivis videt & propterea tantisper infaniunt, ne cogantur ex verbo Dei una nobiscū ut veritatis adacti præsentia rerum cœlestium realem ac veram, simulq; istorum unionem Sacramentalem cum symbolis adstruere & credere. Asylū itaq; est dogmatis Calviniani, analogia adumbrativa sive significativa, sed profecto nimis infirmum. Neq; est ut excipias ad probationem nostram, quod etiam hanc manducationem Sacramentalem quivis Panis exhibere possit. Nam talis exhibitio foret communis, aut hæc Sacramentalis & singularis est Sacramentis & verbo Dei præcepta. Deinde illa tantum adumbraret res cœlestes absentes, hæc autem præsentis exhibet, adeoq; realiter omnia non umbratiler aut significative

*Scopus Cal-
vinianis quis
in retinenda
analogia.*

operatur. Unicum hoc adijcio; Si adumbrativa sive significativa forma Confessionis; Sacramentis esset genuina forma, tum profecto tot forent Sacramenta; quot talia essent Symbola quæ res cœlestes adumbrarent. At quæso te quot in natura dantur hujusmodi? tantum in quotidiano victu penè infinita comperies; omnianè itaq; hæc pro Sacramentis erunt censenda; nequaquam, quia uti verbo institutionis destituuntur, ita etiam eo trahi sua significatione non debent, ad quæ mandato prævio trahi non possunt: **aut** si Adversariorum sequeris relum, tum profecto pro Sacramentis erunt habenda; quia illis Forma Sacramentorum, adumbratio, significatio & analogia competit. Sed jam fatis de hoc non ente Calviniano. Plura Argumenta hac de re vide in Tom. 2. Gissen. Disput. VI. p. 192. thes. 49.

Observatio. 31. Hic istud observa quod Lutheranorum nullus negavit neq; negabit qui rem recte intelligit, nimirum in tegra Sacramenta suas habere significationes; utiq; habent pulcerrimas, quibus dum pia mens oblectatur, mirabiliter afficitur desiderio rerum cœlestium: sed tamen in hac significatione sive adumbratione forma Sacramentalis qua de nobis lis est non consistit,

consistit, sed hæc omnes adumbrationes quotquot dari possunt pertinent ad finem Sacramentorum minus principalem & secundarium. Proinde quoties Calviniani figurativam urgent analogiam & significationes adumbrantes, semper illis respondeo talem analogiam à Christo expressam non esse, nec primariam sed secundariam esse, & minus principalem, de qua nulla nobis inter est lis. Nos enim semper solliciti sumus de Principali illa Analogia, quæ actio est consistens in ablatione (ut specialiter ita rem declarem) manducatione & bibitione &c. quæ verbis Christi expressa & instituta est, nobisq; ut observaremus, demandata est.

32. Quod secundo Fides non possit *Fidem Sacramenti Formam tenere*, sequentibus *caus. Formæ* id evinco rationibus. 1. *Forma Sacramenti man non est, est actio sacramentalis verbo expressa institutio. se probatur.* *Fides non est actio sacramentalis verbo institutionis expressa.* Ergo *Fides non est forma Sacramenti.* Propositio jam ante hac fuit sufficienter probata. Minorem comprobatur institutio singulorum Sacramentorum: illatio itaq; non negabitur.

2. *Forma dat esse rei.* Ratio est in promptu, quia teste Philosopho l. 2. Phys. c. 3. 1. 18. est ratio quidditatis, sive est id, in quo

formæ essentia præcipue consistit. *Ast Fides non dat esse Sacramenti. Ergo Fides non est Forma Sacramenti.* Minorem probō.
 1. Quia Fides non facit ut Sacramentum sit id quod est sed Dei institutio; ideo ad usum Sacramenti referenda non essentiam. Facit enim non ut Sacramentum sit sed ut nobis profit. 2. Si Fides dat esse Sacramento tum illud esse erit vel re terrena vel res cœlestis, vel deniq; tota actio sive administratio. Ast ad nullum horum Fides refertur; neq; quicquam ad hæc Fides confert, sed ordinatio Divina. Non igitur largitur esse Sacramento.

Dilemma.

3. *Quicquid non continetur in verbis Institutionis id non pertinet ad Sacramenti essentiam sive formam. Sed Fides sumenti non continetur in illis. Ergo Fides sumenti non pertinet ad Sacramenti essentiam sive formam.* & p. c. Quod Sacramenti Formam sustinet illud Fides non est, sed aliud quid verbo institutionis demandatum & compræhensum.

4.

4. Ab absurdo sic colligo. Si Fides est Forma Sacramentorum; tum infantes Calvinianorum qui baptizantur, aut percipiunt totum Baptismum quoad essentiam aut non percipiunt. Si posterius assumunt, tum miseros infantes suos bonis istis & medijs salutem acquirentibus misere defraudant, atq; sic

*Dilemma
 insolubile.*

VIVOS

vivos quasi damnationi tradunt. Si prius tum habebunt fidem ut quæ dat esse Sacramento juxta ipsos quia Forma; quæ posita Sacramentum est & manet, & sublata amplius Sacramentum dici nequit, sed tollitur. Ast Fidem infantes habere Calviniani pernegant, uti hoc in Articulo de Baptismo demonstratur per alios. Ergo quia Fide carent quæ Forma Sacramenti, essentiam Baptismi non percipiunt totam: hoc est, non baptizantur. Aut igitur verum erit Calvinianorum infantes vere baptizari aut falsum Fidem constituere Formam Sacramenti. Si posterius assumunt, rem gratam faciunt & veritati demonstratæ assentiuntur: ea propter prius etiam illud membrum dilemmatis saluant, veritate agnita.

Dilemma.

5. *Quicquid à Sacramento abesse potest ejus Forma esse nequit; quia hac absente, ceu nobilissima essentia parte amplius res non consistit. Atqui Fides à Sacramento abesse potest. Ergo Fides Forma Sacramenti esse nequit.* Minor probatur exemplo hypocritarum & impœnitentium, qui cum in V. tum in N. T. copiosi existunt. In V. T. omnes manducantes agnū Paschalē fuisse vere pios & pœnitētes, adfirmare Calviniani vix audent, sed fuisse aliquos impœnitentes

tentes & hypocritas adfirmare ultro coguntur. In N. T. impœnitentium & in digne fumentium corpus Domini Paulus expressam facit mentionem. Si itaq; Fides formam Sacramenti constituet, tum nec illi in V. T. manducarunt Agnum Paschalem, neq; hi in N. fiunt participes Corporis & sanguinis Dn. quia destituuntur Fide, quæ esse largitur Sacramentis. Ast contrarium alicubi demonstrabitur; & ipsi Calviniana tremula conscientia nobiscum idem fateri coguntur, ut suo loco clarius & evidentius patebit.

6. *Contrariorum eadem est ratio, Incredulitas & Fides sunt contraria. Ergo incredulitatis & Fidei eadem est ratio.* Sicut igitur incredulitas hominum Fidem Dei non evacuat Rom. 3, vers. 3. neq; etiam constituit; ita neq; Fides. Dei autem Fides in Sacramentis si ab hominum incredulitate penderet tum profecto, omnis veritas Sacramentorum annihilaretur. Aut igitur Fides constituit formam Sacramenti aut non constituit. Si prius, tunc etiam incredulitas, Dei Fidem in Sacramentis positam evacuat; quia horum eadem ratio. Si posterius tum jam habemus id quod volumus, nec amplius, ita anxie pro hac re laborabimus. Solent enim arma Adversariorum testimo-

Dilemma.

testimonium esse victoria nostræ. Plura hac de re qui volet legat apud D. Gerhar. Tom. 4. Articul. 21. p. 471. apud Dn. D. Mentzerum Tom. 2. Gissen. Disput. 6. thes. 52. p. 197. Ampullas itaq; projicit Confessio & sesquipedalia verba, quando de ficta hac forma Sacramenti, consistente, uti illa autumat cum in Adumbratione & significatione, tum in Fide fumentis, differit; quam hic pluribus refellere nolo, in specie de singulis Sacramentis copiosius de illa, & jam Sectione sequenti.

SECTIO V.

DE FINE ET USU SACRAMENTORUM.

33. Sapientissimus ille Deus, quia nihil ordinavit, fecit aut instituit frustra, sed omnia in & propter certum finem: ita utriusq; T. Sacramenta, quæ solum Deum authorem agnoscunt & vendicant, in & propter certum finem ac usum fructum, vè sunt ordinata & sancita; quos jam hac Sectione plenis declarationis gratia pensitare lubet. Finis Sacramentorum est duplex. *Generalis & Specialis.* Ille consideratur vel respectu Dei offerentis, sive quoad

Finis Sacramentorum duplex.

quoad Deum; quo respectu Sacramenta dicuntur esse, Media organa & instrumenta, per quæ Deus promissiones suas Divinas in Evangelio propositas, de gratuita nostrorum peccatorum remissione, iustitia & vita æterna, sigulis dignè utentibus, organis & medijs istis divinis, offert, confert exhibet & applicat. Et hanc sententiam veritati in literis sacris revelatæ per omnia consentientem, per se licet claram nec operosa probatione indigentem ex abundantanti rationibus sequentibus roboro & confirmo.

*Argumenta
probatia
Sacramenta
esse salutaria
Media.*

I.

34. 1. *Quocumq;* inserimur fœderi Dei, illud est medium applicans Divinam gratiam. Atqui per Sacramenta inserimur fœderi Dei. Ergo Sacramenta sunt, media applicantia Divinam gratiam. Assumptum probo ex inductione Sacramentorum. De Baptismo Matth. 28. Marc. 16. Rom. 6. Ephes. 5. Tit. 3. 1. Pet. 3. De Cæna D. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. Sic & de Sacramentis V. T. ut de Circumcisione Gen. 17. de Agno Paschali Exod. 12. Nequit igitur negari Sacramenta præcipuè autem initiationis esse media inferentia nos in fœdus divinum. Elucet hoc ex Baptismo, ubi lavacro aquæ cui verbum promissionis est additum à peccatis abiuti, in fœdus Dei recipimur: & si hoc

si hoc huic initiationis Sacramento denegant Adversarij, tum profecto in probanda sua sententia illos sudare oportet. Ego contra ipsos sic procedo: Aut in fœdus Divinum piorum liberi inferuntur per Sacramenta initiationis aut non inferuntur. Si hoc assumunt, tum jam non est mediū aliquod Sacramentum initiationis, non janua primi ingressus ad ecclesiam; non inferuntur aut recipiuntur piorum liberi in fœdus divinum, sed sunt extra fœdus adeoq; adhuc filij iræ. Vel si est per quod fiat hæc infitio, tenentur Calviniani ostendere illius mediij nobilitatem, quod oro ostendant ecquod illud medium sit receptionis in fœdus Dei citra Baptismi Sacramentum. Si illud assumunt, tum jam palmam victoriæ nobis porrigere coguntur. Adver. & nobiscum una fateri nullum, nullum, nullum aliud esse medium & organon hominibus sub novo fœdere viventibus, per quod reciperemur, infereremur, & adoptaremur in fœdus Dei, nisi salutare hoc Sacramentum Baptismatis: id quod verissimum.

Dilemma

35. 2. *Quocumq;* generaliter attribuitur Evangelio tanquam medio salutem offerenti & gratiæ per Iesum Christum partem, illud recte in specie singulis competit Sacramentis. Sed Evangelio, oblatio salutis & gratiæ per Christum partem attribuitur.

Ergo

2.

Ergo id in specie recte singulis competit Sacramen-
tis. Consequentia est firma quia Sacra-
menta sunt tanquam epitome quædam,
Evangelij, ex quo omnem suam virtu-
tem, authoritatem & operationem velut
ex Dei verbo, habent. Si igitur gratiæ ob-
latio denegatur Sacramentis tum conse-
quenter negabitur hæc de ipso Evangelio.
Alit quæso quomodo hoc consistet cum
veritate? quæ affirmat: *Evangelium esse*
dubium ad Deum ad salutem omni credenti.
Rom. i. vers. 16. Si autem Evangelio hanc
virtutem adscribunt (qua de re qualiter
loquantur, & quantum externæ prædi-
cationi tribuant patet ex Articulo. i. Con-
fessionis p. 23.) & Sacramentis detrahunt
tum consequens erit Sacramenta non esse
epitome Evangelij sive sigilla, quod con-
tra Confessionem p. 135.

3. Argum.

36. 3. *De quocumq; predicatur divinus effe-*
ctus, illud est organon offerens Divinam gratiam.
Sed de Sacramentis predicatur divinus effectus.
Ergo Sacramenta sunt organa offerentia Divinam
gratiam. Major constat; quia: Dici de ali-
quo requirit inesse. Si igitur effectus divi-
nus de rebus istis enunciatur eo ipso o-
stenditur Sacramenta esse res conferentes
Dei gratiam eandemq; applicantes. Et si
hoc non concedunt Adversarij tum taci-
te ne-

re negant de illis enunciari divinum effe-
ctum; quod est contra scripturam, quam
alibi allegavimus. Sacramenta igitur am-
plius non pro nudis signis habenda, quia
sunt organa sive media exhibentia, con-
ferentia & applicantia Divinam gratiam.
Agnoscit hoc ipsa Confessio vi veritatis
adaesta, ea propter de Sacramentis N. T.
dicit p. 139. *Nemis nevez tetnek immarcsak*
virnek, kenyérnek bornak de meg vyjonnar
születis nekis, avagy meg vyjulas fordó jénekis:
imeg az Christus testinek és vérinek peccátinek
(*ugy mint nem czupan valo jégynék ava-*
gy peccátnek, hanem ollyannak mely az
Christus testinek és virinek ríffeltetise.
1. Corinh. 10, vers. 16.) *avagy Sacramento*
manak. Neve autem putes nos virtutem
aliquam naturalem adscribere Sacramen-
tis: sed iste divinus effectus & hæc virtus
de illis dicitur per modum attributionis
ut causæ instrumentali. Minor Argumen-
ti roboratur ex supra allegatis: Illatio igi-
tur est vera, quod Sacramenta sint organa
offerentia divinum gratiam: quia sunt in-
star manus Divinæ; *qua Deus Pater vult gra-*
tiam suam conferre; Filius meritum communi-
care; Spiritus S. efficaciam suam exerere ad salu-
tem omni credenti: quorum omnium
vis dependet ab institutione divina. Plura
huc

Observatio.

98 DE SACRAM. IN GENERE.

huc argumenta accumulare in tam re-
clara non lubet lector benevolus | consulet
hac in re alios.

Generalis

*Finis quoad
nos.*

37. *Finis Generalis* Sacramentorum
quoad nos sive respectu utentium est;
quod sint signacula, oblationes, testi-
monia, per quæ tanquam per manus Dei
sive pignora divina gratia obsignatur, con-
firmatur, & applicatur, Fides languida in
nobis excitatur & erigitur, totaq; ceu ful-
cumento fortissimo fulcitur; Probat
hoc alias dñtis scripturæ permultis: Duo
tamen ex illis huc apponere placet Rom.
4. n. Ubi de Abrahamo testimonium
fert Apostolus, quod acceperit signum
circumcisionis, signaculum justitiæ Fi-
dei in præpucio. Ubi clara litera com-
monstrat, Circumcisionem fuisse signa-
culum Fidei in Abrahamo; quod tamen
intelligendum est non de solo Abraha-
mo; sed de singulis credentibus, uti vult
Apostolus, dum proponit exemplum A-
brahami, qui est Pater omnium creden-
tium. Secundum testimonium habetur,
1. Johan. 5. v. 8. Tres sunt, inquit Apost.
qui testimonium dant in terris: *Spiritus*,
hoc est, Ministerium Evangelij, *Aqua*, id
est, Baptismus, & *Sanguis*, id est, Cœna
Domini. Perspicuum hoc dictum est non
diffiten-

DE SACRAM. IN GENERE. 99

diffitentibus ipsismet Adversarijs, ubi Sa-
cramenta ad literam nuncupantur *testimo-
nia*, & quidem talia quæ testimonium
perhibent non de absente sed de præsentè
gratia divina.

38. *Fines Speciales* Sacramentorum sub-
ministrat cujusvis Sacramenti institutio *Specialis Fi-
nis*.
propria, cujus nimirum gratia sive pro-
pter quem quodvis Sacramentum a Deo
ordinatum sit. Ut *Baptismus* finis est rege-
nerare, per aquæ asperisionem. *Cœna D. Fi-
dei* confirmare, vitam emendare novæ
obedienciæ studere, &c. Sic quoq; V. T.
Sacramenta peculiaria ac specialia habent
sua officia & fines, quorum gratia institue-
bantur. Sed horum exquisita tractatio fo-
ri est alterius.

39. *Fines Minus principales*, respectu Prin-
cipalium sic dicti, qui etiam secundarij *Minus prin-
cipales Fi-
nes*.
vocantur, multi sunt, duorum tamen me-
minisse hic debet. 1. Sacramenta sunt ve-
luti *Nervi* quidam. Sicuti enim nervi ma-
ximo vinculo colligant & adununt mem-
bra corporis humani: ita Sacramenta ner-
vorum instar adununt & maximopere cõ-
jungunt electos Dei ceu membra corporis
mystici; ut desiderio singulari cum Regio
Psaltes: *Habitare in Domo Dei per omnes
dies vitæ suæ desiderent* Psal. 27, vers. 4.

H 2

2. Sunt

2. Sunt *theſſera* quædam, quarum beneficio Eccleſia Dei à malignanti diſtinguitur, fideles ab infidelibus dignoſcuntur & velut oves à lupis ſegregantur. Hos Fines ipſa Confefſio comprobat ad calcem huius Articuli. p. 133.

40. Hactenus veritatis amore percutus pro veritate pugnavi; nunc pro expugnanda falſitate aliquid dicendum erit.

Obſervatio.

In genere autem notari velim Confefſionem nullius Finis, conſiderati quoad Deum ſive reſpectu Dei meminiffe: quo ipſo tacite negat Sacramenta eſſe organa ſive media, per quæ Deus ſuam gratiam vitam & juſtitiam ſingulis Sacramento utentibus, offerret, conferret, & applicaret: ſed vocat ſanctiſſimarum rerum, ſigna (quæ phraſis ſi cum grano ſalis accipiat ſtare poteſt) non nuda puta, ſed quibus etiam appellatio rerum ſignatarum tribuitur (puta tropica & verbalis prædicatione, uti ſe alicubi declarant.)

Levitas lingue Calviniane.

139. Sed quid hoc aliud eſt quam lingue ſuæ levitatem proſtituere. Nam profectum putidum eſt & nimis frivolum quærere tropos ubi non ſunt, honoris gratia aliquid de rebus quod enunciatur cenſeri quod in rei veritate ſive revera, in uſitato modo, prædicatur: Hoc enim quid aliud

eſt quam Spiritum S. corrigere, ſuam ſipientiam ipſius præponere; adeoq; cenſere ipſum in ſcripturis aliter loqui & velut ſcripturas aliter interpretari. Sed fugere has ineptias quiſquis eſt, & linguam corrigendo ſcripturæ utaris phraſibus, ad momentumq; myſteriorum omnia & putes fieri & interpreteris.

41. In ſpecie Fines Confefſionis, quos Sacramentis aſſuit, diſpeſci poſſunt in *Primarios & Secundarios*. Illorum numerat quatuor præcipuè. 1. Vocat Sacramenta juſmodi ſigna, quibus Deus ſua beneficia ſiſ utentibus revocat in memoriam. 2. Per quæ promiſſiones ſuas obſignat (intellige non per rerum cœleſtium præſentem ac realem exhibitionem, ſed earundem in elementis adumbrationem. Eſt enim caput totius Calvinismi analogia, quæ ſtante, ſtat etiam Calvinismus, cadente vero, totus in nihilum ruit.) in ſummentibus. 3. Per quæ notatur in nobis interna ipſius operatio, quam nobis ad extra per elementa viſendam exhibet. 4. Per quæ Sacramenta deniq; Fidem noſtram de interna Spiritus S. operatione forrificat & augmentat. Secundarios fines ſubſiceo, quoniam à Confefſione recte commemorantur, utpote quibus inter nos

Fines Sacramentorum apud Calvinianos qui.

Caput Calvinismi analogia.

& ipsos nulla lis intercedit, suum locum habere possunt, de his itaq; nihil.

42. Contra hæc inania verborum lenocinia, quibus miro modo sibi perplacent Adversarij in genere ita argumentor. *Cujuslibet Sacramenti fines Principales verbis institutionis sunt notati. Sed finis in Confessione appositus, nullius Sacramenti verbis institutionis sunt notati. Ergo &c.* Propositio est extra controversiam. Minor in ductione roboratur. Nam Circumcisionis finis Principalis est in sædus Divinum cooptatio, Genes. 17. Baptismi à peccatis ablutio. In comestione Agni Paschalis transitus recordatio Cœnæ D. per sanctissimi corporis manducationem Fidei augmentatio donorum Spiritus S. collatio, spei erectio &c. De quibus in specie, suo loco pluribus agatur. At quæso ubi hic vel unus finis memoria in Confessione appositus est? Tacet de illis scriptura, de quibus pulchre quoad verba loquitur Confessio; sed quid juvat tam in re ardua aliquid asseverare non prævia scriptura? Nil profecto; qua enim facilitate aliquid dicit quod præter scripturam est, ea rejicio, & nihil facio.

43. In specie autem breviter & qua fieri potest fidelitate ad singulos illos fines supra

supra enumeratos ita respondeo. Ad r. Dico quod Confessio crassum petat principium. *Ad quod enim Sacramenta principaliter ordinata non sunt eo defungi non possunt. At ut illis principaliter Dei beneficia, in memoriam revocentur ad hoc ordinata non sunt. Ergo hoc officio defungi non possunt.* Assumptum ante hac Argumenta producta probantia Sacramenta esse media conferentia & applicantia Dei gratiam, confirmant ac roborant. Et si Sacramenta nobis Dei beneficia in memoriam revocant, hicq; principalis ipsorum erit finis, nimirum revocare memoriam beneficiorum Dei nobis, tum & *Oratio Dominica* erit Sacramentum, *Symbolum Fidei, Passionis, & mortis Christi, Resurrectionis, & Ascensionis Historia,* & quam plurima alia quia & his omnibus & his similibus DEI beneficia nobis in memoriam revocantur. Unde per instantiam sic inferre licet: *Quodcumq; nobis beneficia DEI in memoriam revocat illud est Sacramentum.* Ratio est in promptu: quia hic finis & scopus Sacramentorum est ut nobis DEI beneficia uti loquitur Confessio, his in memoriam revocentur? de quo quumq; autem finis rei dicitur, de illo & res ipsa enunciatur. Jam sub sumo: *At qui Oratio Dominica, Symbolum Fidei &c.*

*Absurda ex
sententia
Confess. pul-
lulancia.*

Instantia.

Dei beneficia nobis in memoriam revocant. Ergo, Oratio Dominica, Symbolum Fidei, &c. erunt Sacramenta; puta N. T. & proprie dicta: quod ἀποκτ. Minor facile probatur: Nam in 5. petitione oramus pro peccatorum nostrorum remissione. Ast horum venia extra Christum nemini contingit, sed hanc consequimur per & propter Christi meritum Fide apprehensum. Habes igitur hic statim maximam beneficiorum Divinorum commemorationem. Hic enim Christus pro te est passus, ipsius sanguis in ara crucis pro tuorum peccatorum remissione est effusus; adeoq; propter hujus satisfactionem tibi salus contingit & redemptio. Hæc & quam plurima alia tantum hæc unica petitio beneficia Dei pijs in memoriam revocat; unde consequitur ex mente Calvinianorum & hanc petitionem esse Sacramentum. Quid autem foret si omnes & singulæ petitiones expenderentur? Marc illic invenires beneficiorum Dei. Quicquid igitur ad instantiam datam responderint Adversarij idem ipsis repono. Neq; obstat quod in Sacramentis per solennem quemdam modum beneficiorum istorum fiat recordatio: Nam & in oratione Dominica datur talis solennitas, dum publice semper

Instantia.

Responsio.

ante

ante & post concionem Minister voce clara recitante etiam populo è suggesto orationem pronunciat; qua & Deo pro acceptis beneficijs gratias referunt, & aliorum etiam spiritualium puta eadem recitatione reminiscuntur, & hunc morem & ipsi retinent in suis ecclesijs. Et quæso cum clara voce pronuciatur symbolum Fidei num non ibi solenniter revocantur in memoriam Christi beneficia? Expende tantum Articulum secundum symboli in quo pertractantur doctrina de Incarnatione Filij Dei, nativitate, Passione, morte, resurrectione, descensus ad inferos ascensionis ad cætos, & sessionis ad dexteram Patris; quæ omnia nostri causa & propter nos contigerunt: quem Articulum dum pia mens recitat, tacite secum statim cogitat de omnibus istis beneficijs, quorum mihi fit mentio. Accedit illud quod solennis quædam beneficiorum recordatio rem ipsam nec auget nec minuit: *Magis enim & minus non variant speciem.* Sive enim solennis fiat recordatio, sive minus talis, modo fiat tamen nihilominus beneficia Dei in memoriam nobis revocantur. Adeoq; si non omnia sunt censenda pro Sacramentis quibus recordamur beneficiorum Dei consequens erit nec Sacramento-

*Maxima
Logica.*

H s

mento-

mentorū hunc esse principalem finem; sed alium de quo supra. Accedit deniq; huc & illud, quod ipse Calvinus, in Antid. Con. Triden. sess. 7. can. 5. Concedit Sacramenta esse instrumentales conferenda nobis gratia causas. Si igitur conferunt nobis Divinam gratiam Sacramenta, juxta Calvinī Confessionem, falsum erit principaliter per illa nobis Dei beneficia in memoriam revocari. Prius Calvinus concedit; & p. c. ipsius quoq; Discipuli, si non exuerunt Patris priscam doctrinam; concedant igitur oportet & posterius: quod probandum & evincendum fuerat. Refer hac de re etiam testimonia aliorum, ut Marlorat. in c. 5. Ephes. qui fatetur *non ἐπιμαρτυροῦσιν sed verè & ὀφραυνοῦσιν mundandi effectum de lavacro aqua predicari.* Ursin. in Cateches. p. 476.

Ad 2. Responsio.

44. Ad 2. Dico Confessores contra suos gregales in hac finis positione in surrexisse, quorum hac ratione rugas deturpant, cum alias suos Patres venerari deberent. Ex sententia quorundam diversimode sentientium ita contra Confessores argumentor: Nullum signum nudum & significans potest confirmare promissionem Dei. At Sacramenta apud Calvinianos sunt signa nuda & significantia. Ergo Sacramenta apud Calvinianos

non

non possunt obsignare promissionem Dei: & p. c. quodcumq; obsignat sive confirmat promissiones Divinas, pro signo nudo illud assumari nec debet, nec potest. Major Syllogismi est extra controversiam: Nam ut obsignet aliquid & sit simul signum nudū, fieri nequit: etsi illud datur in aliquo, hoc eo ipso tollitur; sunt enim res sese tollentes. Minor probatur verbis Cinglij, qui in l. de vera & falsa religione impress. Tiguri Anno 25. ita scribit: Sacramenta sunt tantum signa & ceremoniæ (adverte Photinianismum) quibus homo se ecclesie probet, &c. Et licet errorem hunc præmonitus à B. Luthero & Philippo revocavit postea tamen iterum redijt ad vomitum, uti patet ex Confessione ipsius ad Carolum scripta, Artic. 7. *Credo inquit imo certo scio, omnia Sacramenta tantum abesse, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent.* Quod si causam scire ex Cinglio gestis dicet, in ante hac allegatis; quia Sacramenta sunt tantum signa sive sunt nuda signa. Hanc eandem Cinglij sententiam probat ipsa Confessio p. 141. ubi scribit quod sibi displiceat sententia illorū, qui docent signis (nō nudis puta sed quibus verbū institutionis additur) gratiā Dei esse alligatam sive additā. Quid vero

Photiniano
smus.

Confessio
Cinglij
immutatur.

vero hoc aliud est, quam docere Sacramenta esse nuda & pura signa, quibus nec collatio gratiæ nec res signatæ sint additæ. Sic docet p. 135. Ministros (nuda) tractare, sive porrigere signa, res vero dari à Domino & quidem immediate non signis mediantibus uti se alicubi declarat clarius. Jam igitur colligat pia mens, quomodo & qua fronte affirmare audeant Calviniani, Sacramenta obsignare Divinas promissiones! Certe nuda signa hoc non præstabunt. Et quamvis & Confessio & alij à vocula illa (*nuda*) sibi temperant, tamen, rem eandem unde hæc consequitur ponunt & substituunt. Sed forte confessores hac sua sententia qua censent Sacramentis promissiones obsignari divinas recoquunt errorem illum antiquum Calvinii & quorundam aliorum quo docetur Sacramenta esse tantum figilla gratiam jam ante collatam vel postmodum conferendam & significantia & obsignantia: Adeoq; hoc forte respectu hunc finem Sacramentis, obsignationis puta, adscribit. Verum si fucum hunc erroris verbis istis alit Confessio tum secum non constat; nam statim sequentibus verbis subijcit, Sacramenta testimonium perhibere de illis quæ in nobis operatur Deus inter-
nè:

Fucus Confessionis.

nè: ut hæc ipsius opera externis oculis nos quasi contemplemur. Quemadmodum igitur interna hæc Dei operatio nec est futura nec præterita; ita nec Sacramenta obsignant vel de elapsa operatione promissiones, vel de subsecutura. Aut itaq; Sacramenta apud ipsos obsignant promissiones Divinas de operatione præsentis, aut de præterita aut demum de subsecutura. Si hoc tunc jam Sacramenta non exponent nostro visui internas in nobis Dei operas. Si istud, tunc illud nequaquam ad Sacramenta pertinet, sed operationes quædam extra Sacramenta peragentur, quorum postea hæc sunt obsignationes. Si illud assumunt, tum cadit ipsorum falsa hypotesis, Sacramenta esse obsignationes de promissionibus præteritis aut subsecuturis. Neq; sic ergo Confessio consequetur id quod forte contendit hac finis positione. Quando ergo agit, Sacramentis obsignari promissiones, vel tantum verba dat vel occulti quippiam fovet, vel deniq; ab alijs secessionem molitur: quicquid assumunt, malum est & causæ malæ manifestum commonstrant oculisq; ad visendum exhibent indicium; cui si adhærent mali faciunt male.

45. De duobus posterioribus Finibus dico

Hic ex hypothesisi disputo.

Dilemma.

110 DE SACRAM. IN GENERE.

*Operatio
Dei duplex
Dilemma.*

dico quod plane hic locum non habeant. Nam 1. Aut Deus hæc facit mediatè five per Sacramenta, aut immediate, five absq; Sacramentis. Si illud, tum totius doctrinæ Calvinianæ asyllum ruit; adeoq; in fumos relegatur tropica & titutio tenus five verbalis dictorum illorū explicatio, qua docet de Sacramentis saluationē, mū-
dationem &c. per tropum & cohonestan-
di gratia prædicari; quam tamen & Con-
fessio & alij nō modo suam faciunt, sed et-
iam temerarie propugnant: cujus erroris
refutationē pete ex alijs. Si hoc tunc petit
principium & id quod dicit non probat;
adeoq; dicit hæc fieri & non fieri; Sacra-
mentā internam Spiritus S. operationem
adumbrare & non adumbrare; Fidem illis
confirmari & non confirmari; quæ mani-
festa pugna est. Et profecto si unquā ma-
gis laborare debuit turba Confessorum in
probando aliquo dogmate tum certe in
hoc vires experiri debuit; & hoc opus
hic labor esset evincere posse immediate
hæc Deum operari absq; Sacramētis; quod
præstabit Confessores *seculorum soba n. apr. 2.*
2. Si vel maxime concederem quod Con-
fessio sibi dari postulat, quod Sacramentis
connotatur interna Dei in hominibus o-
peratio; & Fidei nostræ augmentum, de
Spiri-

DE SACRAM. IN GENERE. III

Spiritus S. in cordibus nostris operatione:
hi tamen fines tantum sunt secundarij &
minus Principales. Proinde ut recte mo-
ner Dn. D. Gerhardus Tom. 4. Artic. 21.
p. 501. *Finis secundarij & minus principales non
sunt venditandi pro fine principali, nec eidem op-
ponendi.* Et si igitur Sacramenta (loquor ex
hypotefi) secundario & oblique hæc præ-
stant, manet tamen adhuc quod non sine
Sacramētis hæc fiant; sed in illis & per illa
tanquam per media. Quid vero hoc facit
ad rombum; Cum nos jam hic solliciti su-
mus de primarijs finibus Sacramētorum.
Nam cum Theologis nostris non nego a-
nalogiam quandam latissime sumptam si-
gnorum exhibitivorum esse ad res cœle-
stes. Sed hæc quam longe distet à Janua
Calvinianæ gazæ judicabit facile sapiens
Lector.

Concessio.

Quæsiō.

46. Unum autem quæro ex Calvinia-
nis, ad quod velim directe respōdeant: An
putent Fidei confirmationē de Spiritus S.
operatione interna, quæ fit per Sacramēta
habere verbum expressum aut nō habere?
Si nō habet tunc nullus amplius locus su-
pererit dogmati huic, quod in Principales
Sacramentorū fines connumerarunt, fidei
nimirum confirmationē. *Quicquid n. de scri-
pturis sacris autoritatē non habet, eadē facilitatē
contemnitur qua probatur,* ait alicubi Hieron.

Sunt

112 DE SACRAM. IN GENERE.

Sunt enim illicite illi curiosi, qui non re-
velata, & patefacta indagare conantur.
Præstat enim non scire quod revelatum
non est, quam cum errore tenere. Sin ver-
bum aliquod habet hoc dogma Calvini-
sticum, tenentur illud commonstrare pa-
gellas annotare, si non subleſtam dogma-
tis sui apud nos volunt habere fidem:
quam diu autem nudas literas tantum si-
ne scriptura & rebus Sancti Spiritus nobis
obtrudant, nil efficiunt. Hoc autem dili-
genter observa quisquis es, quod Confes-
ſio, non absq; damno suo Sacramenta
vocet signa confirmantia & obſignantia.
Si etenim Sacramenta sunt signa obſi-
gnantia & confirmantia, ut vult Confes-
ſio utiq; etiam sunt media exhibentia res
cœlestes: Omne enim signum sacrum
confirmans & obſignans, est etiam medi-
um exhibens. Obſignatio enim est rei ex-
hibitæ obſignatio: & non circa absentem
aut de absente, sed de præſenti re quæ exhi-
betur in Sacramentis confirmamur. Aut
igitur posita obſignatione & confirma-
tione, ponitur etiam exhibitio, aut nega-
ta exhibitio, neganda etiam erit Sacra-
mentorum obſignatio & confirmatio:
quicquid elegerint Adversarij capientur.
Non igitur sine doctrinæ suæ ruina Sacra-
mentis

*Obſignatio
quæritur.*

Dilemma.

DE SACRAM. IN GENERE 113

mentis dicunt confirmari Fidem; quod ne
fiat maturè prospiciant de fulcro aliquo,
quo se fulciant, & quo nutantis Theolo-
giæ suæ parietes præmuniant, quæ sene-
ctute erroris ruinam minatur, omni cele-
ritate malo obviam eant. Sed hæc cogita-
tio diligensque de his cura, & meditatio
sit penes ipsos.

SECTIO VI. ET ULTIMA.
CONTINENS CONTRA-
DICTIONES CONFESSIO-
nis in hoc Articulo.

47. 1. *Ve uno inconvenienti dato infinita se-
quuntur*, docente Philosopho: ita uno er-
rore posito, plurimi ex illo profluunt. Ex-
perimur hoc in Confessione, quæ cum
Sacramenta putat tantum esse mera signa,
& tales res, quæ non ipsam realitatem re-
rum cœlestium in se contineant & exhi-
beant; sit, ut dum fluctuando melius vel-
let palliare erroris sui nuditatem, sese ut
nunc in hanc nunc inclinet in partem
aliam. Apud omnes Calvinianos Sacra-
menta sunt nuda signa, sive ut Confessionem
placet visibilia, quæ apud nos altera pars
Sacramenti; ne hunc errorem manifestè
docere videantur, & pro palare Confessio-

*Calvinianæ
Sacramen-
ta sunt nu-
da signa.*

I res

Contra-
dictio.

res, adjiciunt insuper in Confessione, quod Sacramenta sint *actiones sacrae*. Confer jam Confessionem cum aliis, & hæc manifesta contradictio prodibit: *Sacramenta sunt nuda signa: & Sacramenta non sunt nuda signa, sed actiones sacrae*. Et quamvis ita sibi temperent, cum Confessores, tum alii Calviniani, ut voculamur. *Nuda* non facile invenias in scriptis ipsorum in hac controversia, præsertim in scriptis recentium Calvinianorum, si tamen cum intentione & mente scripta ipsorum conferimus, quod volumus habemus, ipsos Sacramenta habere pro signis nudis, quod vel ex unico *Tossan. in lib. 1. qua contra Marbach. scribit p. 334.* patet.

48. 2. Quod reliqui Calviniani hostiliter oppugnant, alteram partem Sacrament. nimirum cœlestem esse constitutam, sed partim ceremonias pro illa substituant, ut *Treecat. l. 2. p. 98.* partim ritus Sacramentorum, ut *Pelanus l. 1. part. Theol. p. 225.* hoc Confessio ausu suo & autoritate Prætoria destruit, dum affirmat requirere ad constitutionem Sacramenti rem quoque signatam, p. 133. Sed cuius manifesta est hæc lubricitas vocis & sententiæ; Nam si specialem Sacramentorum tractationem penitaverimus, comperiemus, Confessionem suffurari hanc rem cœlestem, & nequaquam

quaquam constituere partem alteram Sacramenti. Exempli gratia, In Cœna Domini pars altera est corpus Christi & sanguis realiter præsentissima. Quid ad hæc Confessio? Christum ascendisse supra aspectabiles cœlos, quoad carnem, ubi confedit ad dexteram Patris, hoc est, in certum locum, ut ex loco *Johan. 14. v. 3.* interpretatur p. 68 & p. 153. Refer huc Sacramentorum administrationem, ubi Confessio, Ministrum nil aliud tractare aumat, quam nuda elementa, res verò cœlestes à Deo porrigi: (immediata exhibitione puta) censet, p. 135. Ex his itaq; prodit hæc contradictio: *Alter pars Sacramenti est res cœlestis, subaudi realiter præsens: Et Altera pars Sacramenti Cœna non est res cœlestis, nimirum realiter præsens, quia in cœlo ad dexteram Patris est, id est, in certo loco.* Fucata igitur hæc Confessionis est & lubrica nimis cum Orthodoxis convenientia, quam rectius disconvenientiam dixerim. Nam non nuda verba quoad tenorem, sed mens quoad intentionem judicanda sunt. Ast Confessio in hoc negotio, habet quidem orthodoxa verba, dum rem quoque cœlestem Sacramentorum partem esse censet, sed linguam menti consonam per omnia *ερεβδοζα* & disconvenientem. I 2 +93-

Verbalis
convenientia
Confessio
nobiscum.

Contra-
dictio.

H6 DE SACRAM. IN GENERE.

49. 3. Longè jam à se Patris sui Calvini Confessio canitiem abigit, pietatemque exuit, cum illam multum revereri debuisset. Nam quod Johan. Calvinus in *Catechis.* Ecclesie Geneven. docet, Sacramentorum naturam in *præfigurando, significando & repræsentando* consistere; unde res cælestes cum terrestribus non uniri manifestè commonstrat: contrait huic opinioni Confessio Ungarica, quæ p. 139. elementa & res cælestes sacramentaliter & arcandò modo uniri censet. Ubi oculus facile palpabit contradictionem Confessionis & ipsius Calvini: hic enim ait: Sacramenta præfigurant res cælestes, unde consequitur cum illis non uniri: illa autem fatur: In Sacramentis res cælestes uniuntur mystico modo cum terrestribus, & per consequentiam bonam; hæc illam non præfigurant. Si hanc pugnam pernegant Confessores tum indicare non erit difficile Confessionem pessimè abuti phrasi *sacramentaliter uniri*, cum foreè idem est ac præfigurari per elementa res cælestes, quo abusu virus linguæ & Pryadis venenum propinat suis Confessio.

50. 4. Pudet me edicere sed dissimulare non audeo Confessorum levitatem & inconstantiam, qui nec secum conveniunt, nec

Pugna Confession. & Calvini.

Abusus Confessionis.

DE SACRAM. IN GENERE. H7

nec suis gregalibus rugas deturpare desistunt, sed altercationibus maximis dediti perpetuas ducunt pugnas. Utque sit locus dictis demonstrabo Calvinianis ad oculum. Dicunt p. 139. Elementa Sacramentorum non esse nuda elementa, sed quòd appellationem fumant ab ipsis rebus unitis. Exempli gratia, In Baptismo aqua non dicitur amplius tantum aqua, sed & lavacrum regenerationis. Pariter se habent elementa cœnæ. Quæ sententia Confessionis si absit, fucus consistit, propter tamen alias rationes consistere nequit. Pugnat itaque secum verbis istis; Nam p. 144. dicit, Baptismum esse signum commemorans homini antea per Deum factam remissionem peccatorum, jam quod signum est (puta eà ratione, quæ apud ipsos vox hæc usurpatur,) illud non potest dici propriè id Prædicatione inusitatâ, cujus est signum: adeoque Baptismus quando Confessionis est signum commemorativum, amplius; lavacrum regenerationis, ut vult, supra non est, quæ pugna est & quidem crassa. Accedit huc & illud, quod p. 145. ajunt aqua ablui sordes carnis, contra clarâ Scripturæ literam, quæ habetur 1. Petr. 3. v. 21. At quod tantum carnis sordes abluit, nequaquam Ba-

Demonstratio.

Baptismus Confessionis est lavacrum aquæ, & non est.

Baptismus Confessionis non est lavacrum regenerationis. ratio.

118 DE SACRAM. IN GENERE.

test dici sive vocari lavacrum regenerationis; Si itaque aqua Baptismalis abluit sordes carnis ad denotandam internam abluitionem, quæ fit à Spiritu sancto immediatè, tum nequaquam regenerationem operabitur, sive lavacrum regenerationis esse amplius desinet. Prius Confessores lubenter & concedunt & propagant. Igitur concedant & posteris, videlicet Baptismum non esse lavacrum regenerationis, quam tamen antehac sententiam pro vera & genuina Confessio agnoscebat. Et quod prius in loco allegato pro vero agnovit, hoc jam hoc loco verum esse negat; atq; sic ipsi aliquod verum simul est falsum.

Pugna Confessorum cum alijs.

51. Quod cum reliquis Calvinianis pugnant Confessores, probatu haud est difficile: & in hanc sententiam plurimi adduci possent, ne tamen copia tædium pariat Lectori, unicum atque alterum ex antesignanis adscribam. Calvin. l. 4. Instit. c. 17. & 15. sect. 20. disertè negat: *Baptismo abluitionem & salutem nostram perficere, aut ipsam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere, vel salutis causam in hoc Sacramento percipi, jam verò si Baptismo salus nostra non perficitur, ut vult Calvinus, quomodo quæso juxta Confessionis sententiam rectè nuncupabitur lavacrum regenerationis?*

DE SACRAM. IN GENERE. 119

nis? nequaquam hæc duo invicem consistent. Aut itaque Calvinus errat, Baptismo id quod est detrahendo, aut Confessio. Si Calvinus errat, cur quæso errantem Calvinum sequuntur Confessores? num DEI via est erroris via? nequaquam, quam DEI viam si scandere satagunt; deserant oportet errantem Calvinum. Si Confessores errant, tum hoc faciunt, vel ut sancti Spiritus verba sequuntur, De Baptismo quæ sonant, vel ut illa aliter interpretantur, interpretandoque pervertunt. Ast prius nequaquam damus; ergo posterius rectissime inferimus. Refer huc *Bezam* in 2. par. Respon. ad Colloq. Mompelg. p. 115. & 120. *Vrsinum* in Compend. p. 532. qui has locutiones: *Baptismus est ablutio peccatorum, & Baptismus abluit peccata, improprias & figuratas esse censet!* Non consentiunt igitur Calviniani in Ungaria cum Præceptoribus suis, quia aliud & diversum docent ab illis. Sint itaque aut omninò Calviniani, atque sic ad dogmata Calvinii & phrasas suas cōcinnent, aut neutrales; & vel re

Dilemma:

Re Calviniani, nomine sunt Lutherani.

viniana sunt dediti, nomen tamen retinent Lutheri; quia vel ipso nomine deterrerent populum à dogmate Calvinii, si vocitarentur Calviniani; vel sint omninò nulli, quod velint assumant secumque de meliori deliberent, mihi que liberius loquenti veniam, si lubet ita, dent.

EXERCITATIO III.

DE BAPTISMO.

SECTIO I.

CONTINENS ETYMOLOGIAM ET ACCEPTI-
onem Baptismi.

1. Haecenus in genere de Sacramentis, jam in specie de singulis recta methodo agam; inter quae principem locum tenet Baptismus, à Patribus *renascentia, generatio divina, vehiculum caeli, Sacramentum novae vitae, aqua vitae, fons divinus*, quo fideles in novam creaturam, regenerantur, indigitatus & dictus: de quo jam annuente eo, in cujus nomine baptizamur, per hunc in Christum inserimur & implantamur, eundemque Baptismate induimur, agam.

*Encomia
Baptismi.*

2. Descendit Baptismus *ἄπὸ τοῦ βαπτίζω*, quod immersionem, intinctionem, immersionem & asperisionem notat. Et hanc postremam acceptionem innuit ipse Apostolus Ephes. 5, 26. Tit. 3, 6. ubi *τοῦ βαπτίζω* exponit per *lavare, mundare*, quae non per immersionem, sed fit per asperisionem. Quam appellationem desumfit à ritu Judaeorum, quibus haec erat consuetudo, ut dum vel à foro vel aliunde domum redirent, non prius cibum capiebant, priusquam baptizarentur, hoc est, sese aqua lavarent sive mundarent, uti patet ex Mar. 7. v. 3. quo Apostolum respexisse nullum alicui potest fieri dubium, cum alias hic ritus ablutionis passim, & in Levitico usitatus fuit, ut purificationis externae, vel sanguinis, Exod. 24. v. 6. vel aquae cinere vaccae rufae praeparatae, Num. 19. v. 9. qui ritus *βαπτισμὸς καὶ βαπτισμὸς* appellabantur. Quo ipso indifferens ratio vocis Baptismi ostenditur contra Keckerm. l. 3. system. Theol. c. 8. & alios, qui immersionem urgent; quibus nos opponimus P. Martyrem in Com. in 1. Cor. 10. fol. 267. & praxin Ecclesiarum apud ipsos, quae certè baptizando infantes suos, non immergunt aquae, sed aspergunt aqua infantulos suos.

*Derivatio
Baptismi.*

3. Vox Baptismi cum in *Sacris literis*, tum *ἱερολογικῶς*

I 5

apud *Baptismi.*

apud *Scriptores Ecclesiasticos* non uno eodemque modo sumitur. Nam quantum attinet ad acceptionem Biblicam, ea potissimum quintuplex est. Sumitur enim Baptismus I. *Metaphoricè*, & connotat largam Spiritus sancti sive donorum ipsius effusionem ac elargitionem, ut Matth. 3. v. 12. Luc. 3. v. 16. Marc. 1. v. 8. Joh. 1. v. 26. Act. 1. v. 5. & c. II. v. 16. II. *Synecdochicè*, pro tota doctrina & institutione ad salutem vitæ Christianæ cursum pertinente, prout sumitur, Matth. 21. v. 25. Marc. 11. v. 30. Luc. 20. v. 41. I. Cor. 10. v. 2. Quibus in locis, præsertim verò in prioribus, Johannis Baptisma, totam ipsius officii rationem implicat, usitata in Scripturis *συνεδοχῆ*, quæ ex parte intelligit totum. Johannis enim officium fuit non solum baptizare, sed simul & populum erudire, Christum nimirum esse promissum mundi. Messiam. 3. *Comparetè*, pro cruce, amaritudine & afflictionibus humano generi communibus, ut Matth. 20. v. 22. Marc. 10. v. 38. Luc. 12. v. 50. Cujus appellationis ratio duplex potest dari. Vel enim in locis istis respicitur ad illa Scripturæ loca, in quibus afflictiones piorum comparantur gurgibus aquarum: sicuti enim illi, qui immergantur aquis, cogitant sibi esse pereundum

Ratio appellationis.

dum in illis: sic quoque pii dum sunt sub cruce aliqua, cogitant sibi sub hac esse pereundum; postea tamen sequitur divina liberatio. Vel respicitur ad significationem immersionis, quæ fit in Baptismo, quod nimirum verus noster homo per quotidianam mortificationem debeat submergi ac interire, quæ etiam crux est & quidem quotidiana illa omnibus piis necessaria, Matth. 16. v. 20. *Si quis vult post me venire, neget semetipsum, & tollat crucem suam.* 4. *Generaliter*, & quamvis ablutionem & mundationem denotat, quo referuntur lavacra illa Israëuitarum, quæ ipsi lege divina erant tradita ac præscripta, quæ Hebr. 9. v. 10. vocantur *Ναοοσι Βαπτισμοι*: refer etiam huc supersticiosas illas Judæorum lotiones, quas per traditiones a veteribus acceperunt, Marc. 7. v. 4. & 8. Luc. 11. v. 38. Unde referente *Iust. Martyr.* Judæi propter has crebras ablutiones, *Baptistarum* nomen sortiti erant. 5. Tandem & ult. *Proprièssimè*, sumitur pro ordinario medio sive Sacramento N. T. per quod gratiam DEI consequimur Christum induimus, ac in librum vitæ inscribimur; cujus institutio habetur Matt. cap. 28. & Marc. 16. passimque in Actis & Epistolis Paulinis repetitur. Quam ac-

Baptista dicitur Iudeos.

ceptio-

ceptionem Orthodoxa purior antiquitas retinuit, & ad posteros quasi per manuductionem derivavit, quam & ego retineo velut sacris literis consonam ac germanam.

*Ecclesiastica
distinctio
Baptismi.*

4. *Scriptores Ecclesiastici*, pro more suo peculiaribus terminis hanc acceptionem Biblicam efferunt, ubi termini quidem alieni, res tamen Sacris literis per omnia est conveniens: quam distinctionem comperies apud Lombard. l. 4. sent. distinct. 4. Sic alius apud illos est Baptismus *Fluminis*, sic dictus, vel propter miraculosam Spiritus sancti donorum effusionem, quasi in oculos incurrentem, quo respectu coincidit cum prima acceptione Biblica, vel propter extraordinariam in Catechumenis sancti Spiritus operationem. Hi enim quia prematura morte abripiebantur ad martyria Baptismus fluminis accipere non poterant. *Sanguinis*, connotans Ecclesie primitivæ martyria, ubi propter doctrinam Christianam multi per Ecclesie persecutores interimebantur flamma, igne, gladio & aliis, quo ipso veram se doctrinam professos fuisse commonstrarunt, sanguine suo, ceu sigillo, eandem ob signarunt, proque Fide & Confessione Christi decertantes, ad sanguinis usque profu-

fusionem restiterunt, ut loquitur, Epistola ad Heb. c. 12. v. 4. 3. *Fluminis*, & per hunc intelligitur, salutare illud lavacrum regenerationis ac renovationis nempe Sacramentum N. T. quæ acceptio coincidit cum ultima nostra acceptione Biblica. Neve autem putes Fluminis Baptisma dictum propterea fuisse, quod sit simpliciter & solum ipsa nuda aqua, sed appellationis hujus hæc ratio est, quod ad partes Baptismi essentialia, aquæ quoque elementum concurrat, quod postmodum cum re cœlesti plenum & integrum N. T. Sacramentum efficit ac constituit.

*Fluminis
Baptismus
quare dictus.*

5. *Æquivocatione* igitur sic discussa, in hunc modum cum Dn. D. Mentzero Baptismum definitio. *Baptismus est N. T. Sacramentum, nempe hominis vivi in aquam, per aquam, immersio & aspersio in nomine Patris & Filij. & Spiritus sancti, ut regeneretur & renovetur, vitamq; & justitiam consequatur. Quæ definitio quia causalis est, ea propter sequentibus sectionibus eandem per causas singulas persequar, brevitate quæ fieri potest.*

*Definitio
Baptismi.*

SECTIO II.

CONTINENS CAUSAM
EFFICIENTEM ET INSTRUMENTALEM
Baptismi.

6. Ple-

6. Placet hic ante omnia Definitionem Baptismi, quam Confessio p. 144. adijcit per analyfin brevem discutere. Definitionem hanc Confessio ex generali Sacramentorum descriptione repetit, quæ de re prius uberius & copiosius fuit dictum ex v. 2. Hanc igitur ut eò melius refutem, vitiaq; quæ illic sunt, produciam in apurum, ita in genere argumentor.

*Syllogismus
generalis.*

7. Quæcumq; definitio 1. non est ex Scripturis sacris petita, sed contra illam directæ. 2. Baptismi efficaciam & veros fines enervat. 3. Secum pugnât; illa pro legitima Baptismi definitione habenda non est. Sed definitio Baptismi in Confessione Calviniana apposta est talis. Ergo pro legitima definitione Baptismi habenda non est. Major est extra omnem controversiam. Minor membratim probatur. Et 1. Quod ex sacris literis non sit petita, sed contra illam directæ constat inde, quia non ex propria sede institutionis est desumpta, quæ habetur Matth. 28. & Marc. 16. passimq; in Epistolis Paulinis iteratur, jam quod non desumitur ex sede propria; illud cõtra ipsam sedem dirigitur tanquã aliunde petitum. Patet prius, quia in verbis institutionis, nec quoad literam habetur, nec per bonam consequentiam inde elici potest, Baptisma esse id, quo nobis in memoriam

revo-

revocantur *περὶ τῶν* DEI beneficia: sed inibi per Baptisma salvari dicimur, ut clara litera institutionis commonstrat. *Quicumq; crediderit, inquit Spiritus S. & baptizatus fuerit, salvabitur.* Marc. 16. v. 16. Longè verò aliud est, salutem consequi sive salvari per Baptismum, aliud item Baptismate nobis revocari in memoriã beneficia DEI: illud constanter affirmat scriptura, hoc Calvinistica turba. Aut igitur salvamur Baptismate aut non salvamur, tanquam per causam instrumentalem. Si prius assumunt, cadit statim illa declaratio, sive potius revocatio beneficiorum DEI in memoriã Scripturæ prorsus ignota. Si posterius, tum jam manifestè contradicunt ori Spiritus S. asserentis nos salvos fieri per lavacrum regenerationis ac renovationis, Tit. 3. v. 5. Quæ autem sic fiet certitudo, si à Scriptura discedendo, contra eandem quidvis asserendum erit? Nulla prorsus, sed piis omnis consolatio in scripturis posita eripitur. Sed cui salus cordi est sciens, quòd quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta esse, Rom. 15. v. 4. adhærebit sacris Oraculis, & id tantum verum esse censebit, quòd Spiritus S per os Sanctorũ loquens *Luc. 1. v. 70.* dictavit; proque vanis glossis & com-

Dilemna.

Observatio.

mentia

*Definitio
Confessionis
non est Bi-
blica.*

mentis ea omnia quæ sunt excogitata defendiq; ex Scripturis nequeunt, reputabit. Animi enim Christiani est Scripturas scrutari, & ad ea examinare, quæ ab aliis dicuntur.

2. *Efficaciam Baptismi enervat Definitio Confessio- nis.*

Signaculum Fidei Baptismi- ni.

8. 2. Quòd hæc definitio efficaciam Baptismatis enervet, & pro veris ac primariis finibus heterogeneos substituat, patet inde, quia per Baptismum à peccatis abluimur, gratiam consequimur, vita donamur, filii DEI sumus, regeneramur ac renovamur. Hos omnes primarios ac principales fines Confessio aure surda præterit, cum maximopere hos in definitione indigitare, mentione introducta, debuisset. Qui autem enumeratos fines Sacramento huic denegant, num non efficaciam Baptismatis prorsus enervant? num non institutioni Christi planè è diametro sese opponunt. Hoc Fidei nostræ *signaculum* est, quo se pii in omnibus tentationibus ac calamitatibus & contra ipsum Satanam & contra ipsius organa armare possunt, exemplo *Davidis*? 1. Sam. 7. v. 26. imò Satanæ ignita tela fidei scuto excepta in aqua Baptismatis extingui debent, Ephes. 6. v. 16. jam qui Baptismatis hanc efficaciam prorsus negligunt, quid quæso consolationis mentibus piorum relinquunt? Cogitet mens pia.

9. 3.

9. 3. Quòd secum pugnet hæc definitio, 3. *Pugna* patet inde, quia filios piorum jam pridem *Confessio* in fœdere divino contineri censet: quod *vis*. si ita res habet, ut vult Confessio, tum beneficia DEI Baptismate profecto in memoriam baptisatis non revocantur, sed declarantur tantùm, quod nimirum istis antequam baptizantur, vi & efficaciam fœderis perfruuntur. Igitur per Baptismum non fit in memoriam revocatio beneficiorum DEI, sed declaratio solennior quasi, quòd illi in fœdere DEI reperti ex vi hujus fœderis omnibus DEI beneficiis ante Baptismi susceptionem perfruuntur; quæ perfruitio hoc signo, ut Calviniani volunt, ipsis tantùm declaratur. Quæ quidem hypothesis utraq; falsa & Scripturis prorsus est aliena, neque cum veritate consistit, ut infra patebit luculentius; hinc tamen sufficiat declarasse ac demonstrasse Confessionem hac definitione secum pugnare. Firma igitur Syllogismi antea dati est illatio; ea propter jam ad institutum faciendia.

10. Quemadmodum universim omnia proprie dicta Sacramenta sunt ac dicuntur media & organa, offerentia, conferentia & applicantia divinam gratiam, fidem & iustitiam: ita hoc speciatim de Baptismo

Baptismus est organum sive medium offerens.

K

sen-

sentiendum ac tenendum est. Sicut itaque fidem, gratiam & iustitiam nullius alterius potestatis est conferre quàm ipsius DEI; ita hæc organa sive media instituere ac ordinare non est alterius, sed solius divinæ potentæ: adeoque solum DEUM causam horum mediolorum efficientem esse clarissimè ostenditur. Patet hoc insuper ex formula institutionis in cuius promulgatione facta ad discipulos Christus in nomine trium personarum Patris, Filii & Spiritus sancti, baptizare iussit omnes gentes. Sic Johannem primò baptizasse & hoc N. T. Sacramentum administrasse legimus, sed num auctoritate propria? minimè gentium, sed à DEO esse missus dicitur ad baptizandum Matth. 21. vers. 25.

*Præsentia
Dei in Ba-
ptismo.*

II. Neque verò censendum est, Deum tantùm instituisse Baptismum, ampliùs verò illi sua præsentia nec adesse nec curare Baptismum. Huic enim velut medio à se ordinato, per quod ille salutem confert hominibus, non solùm adest *præsentia generalis*, quâ cælum & terram implet, Jerem, cap. 23. versic. 24. & secundum quam est *intra cuncta non inclusus, extra cuncta non exclusus, supra cuncta non elatus, infra cuncta non prostratus*, ut loquuntur Patres: sed præ-

sentia

sentiâ singulari, incomprehensibili & Sacramentali: vi enim institutionis, unionis & gratiæ collationis, Sacramentis ordinario modo, cum hanc DEUS dispensat, est alligatus, per quæ velut per suas manus meritum Filii sui cum omnibus beneficiis offert, confert & applicat. In hoc Baptismo, cum administratur tota sancta Trinitas est præsentissima: *Pater*, qui fœdus inquit cum illo, qui aqua aspergitur; 1. Pet. 3. v. 21. eundem per hunc fontem salutis salvat. Tit. 3. v. 6. & in Filium cooptat, Gal. 4. v. 5. Rom. 8. v. 15. *Filius* mundat, lavat, purificat, regenerat, & renovat Ephes. 5. v. 26. quem postmodum baptizatus induit, hoc est, meritum & omnia illius beneficia sibi applicat, Gal. 3. v. 23. in matrem ipsius sepelitur, Rom. 7. v. 4. adeoque ut Filius DEI per naturam, sic Baptizatus postmodum per adoptionis gratiam fit DEI Filius. *Spiritus sanctus*, qui sic baptizatum per Baptismum donis illuminat postmodum, & indies ad novæ vitæ studium impellit, de qua Spiritus sancti præsentia fert testimonium Johannes, cap. 3. v. 8. *Nisi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit ingredi regnum caelorum.*

*Christum
induere
quid sit.*

K 2

12. De-

Ordinariè
per Mini-
stros Bapti-
smus ad-
ministran-
dus.

Probatio
sententia.

12. Debet autem Baptismus per ordi-
narios Ministros Ecclesiæ extra necessita-
tis casum administrari. Nam licet DEUS
ipse Baptismum instituerit, eundem ta-
men administrat non ἀθέτως sed ἐμπέτως;
non secus ac voluntatem suam de homi-
nibus salvandis non immèdiatè, sed per
homines tanquam per media nobis an-
nunciat. Ordinariè igitur administratio
baptismi pertinet ad Ecclesiæ Ministros;
quod probo rationibus duabus: 1. Quia
docendi munus in genere sic dictum com-
plectitur etiam munus administrandi Sa-
cramenta. Sub illa enim generalitate mu-
neris includitur etiam hæc specialis admi-
nistratio. Sacramenta enim sunt visibilia
signa gratiæ in verbo Evangelii oblata. Sic,
ut igitur Evangelii prædicatio ordinariè
pertinet ad illos, qui mittuntur divinitus
ad Evangelii prædicationem, ita etiam Sa-
cramentorum administratio: patet hoc ex
prima illa Ministerii Ecclesiastici institu-
tione numerisque ad Apostolos facta de-
nunciatione, quibus & munus docendi
& simul baptizandi commissum & de-
mandatum fuit; ut ex Matth. 28. v. 19.
Marc. 16. v. 15. clarissimè elucet. 2. Quia
vocantur etiam ob Sacramentorum admi-
nistrationem non autem tantum ob Ev-
ange-

angelii prædicationem *Dispensatores myste-
riorum* (puta per verbum & Sacramento-
rum administrationem facta) DEI, I. COR. 4
v. 1. quo respectu etiam Episcopus sive
Minister Ecclesiæ (usu enim Scripturæ
Episcopi vox quemvis Ecclesiæ Ministrum
divinitus ad hoc munus præordinatū con-
notat) nuncupatur *Ἰησοῦ δίκονου* Tit. 1. 7.
Frustranea itaq; & prorsus nulla foret hæc
Ministorum appellatio, si tantum munus
docendi & non simul administrandi Sa-
cramenta ad ipsos pertineret. Firmum igitur
adhuc & inconcussum manet quod
superius assertum est, ordinariè Baptisma-
tis administrationem ad solos Ecclesiæ
Ministros pertinere.

13. Hic tamen excipio *casum necessitatis*, *Casus neces-*
quando videlicet laicis & piis fœminis *sicatus exci-*
baptizare licitum est, non ex ordinatione, *pitur.*
sed temporis ac status ferentis tristi con-
ditione, puta. 1. Si salus infantis recens na-
ti ob debilitatem & ægitudinem periculi-
tatur, neq; verò Minister jam haberi pos-
set, qui per aliquot stadia advocandus es-
set. In tali igitur casu mandato divino ut
satisfiat, incumbit parentibus, ut infantem
à DEO datum, per legitimum salutis me-
dium iterum DEO recommendent, quod
erit Baptismus; in hoc igitur extrema ne-

*Episcopi vox
usu Scriptu-
re quemli-
bet Mini-
strum vo-
cat.*

*Conditionis
casus neces-
sitatis.*

1.

cessitatis casu Baptismus sive à rustico sive à pia fœmina, qui principia Christianæ Fidei rectè tenent administratus, pro rato firmo & coram DEO accepto est habendus; quia nihil in hac actione committitur contra expressum DEI verbum atque institutionem. Certè in hoc casu & simili aut infantulo sine Baptismo moriendum, aut Baptismus à persona privata conferri debet; prius si fit, tunc profectò parentes infantis maximum in iudicium DEI incurrunt propter fœcordiam & supinam negligentiam hanc; si posterius fit, rectè fit, modo ritè & rectè secundum DEI ordinationem Baptismus à persona illa privata administratur. 2. Sive peste vel bello Ministri ordinarii è medio tollerentur, illic certè & tunc temporis, ut pio alicui Laico docere consentiente tota Ecclesia permittitur, & absolutionem talis morienti ex verbo DEI annunciare potest, propter rationem cum necessitatis tum simul ipsius muneris docendi etiam talis persona privata Sacramentum hoc Baptismi administrare potest, modo fiat legitimè & secundum institutionem Divinam; præsertim cum quoad infantes Sacramenti hujus necessitas longe est major quam verbi prædicationis propter ætatem infantilem.

14. Et nostram hanc sententiam, ut verò consonam, comprobant exempla cum priorum V. T. tum simul primitivæ Ecclesiæ. Sic legimus de uxore Moïsis, quod circumciderit filium suum cum adhuc esset incircumcisus Exod. 4. de mulieribus Maccabæis sub tyrannide Antiochena, Maccab. capitibus 1. 2. & 6. Jam verò quod licet in re pari, videlicet in Circumcisionis administratione, quæ licet à privatis personis facta, tamen & DEO grata fuit, & infantibus Israëliticis salutaris citra omne dubium, licet etiam incompari, & quidem propter duas causas. 1. Quia utrumque est initiationis Sacramentum. 2. Quia Baptismus in locum Circumcisionis successit, Coloss. 2. v. 11. Primitivæ Ecclesiæ exempla huc plurima adduci possent, nisi temporis angustia, quæ ad portum properare jubet, me præmoneret & hanc praxin fuisse in usu in primitiva Ecclesia ipse Calvinus non diffitetur l. 4. Inst. c. 15. sect. 20.

15. Levis itaque armaturæ est exceptiuncula Confessionis p. 146. ubi concluditur ex Paulo, fœminas esse exclusas ab officii ecclesiastici executione, atque sic etiam à Baptismi administratione. Nam 1. Prohibitio illa ordinaria est & conditio-

K +

nata,

*Probatio
sententiæ.**Exempla
primitivæ
Ecclesiæ
probant
Laicorum
Baptis.**Exceptio
Confession.*

nata, puta si absit casus necessitatis; ex quo tamen infirma ducitur consequentia, nam licet ordinariè cum munus docendi tum etiam baptizandi pertineat tantum ad ministros Ecclesiæ, ex eo tamen adhuc colligi firmiter non potest, quod in casu extremæ necessitatis Laicis baptizare non liceat. 2. Prohibentur in textu Paulino fœminæ docere in cœtu publico, non tamen domibus suis, pacis tempore, & cum Ecclesiæ status est pœcatus, ut ipsemet Apostolus seipsum explicat 1. Cor. 14. v. 34. adeoque ibi sermo est de congressibus publicis, quibus interfunt viri perdocti, nulla autem mentio fit casus necessitatis, quem nos requirimus; & in quo solum posse tales privatas personas baptizare ostendimus. Igitur privatae personæ sexus utriusque ordinariè & extra casum necessitatis nec docere debent neque etiam baptizare; quod semper à nobis docetur, ne sic contusio fiat ordinum diversorum & distinctissimorum, & simul contemptus inde oriatur Ministerii, urgente tamen casu necessitatis, quem semper suppono, potest salva ministerii authoritate etiam privata persona hoc officio defungi, præsertim si sit extrema necessitas. 3. Ex hoc Calviniano dogmate merus contemptus mandatorum

*Responsio
ad except.*

*Mandati
divini con-
tempus or-*

datorum & admonitionum divinarum *cur ex sen-*
pullulat; auditoresq; sic negligentes red- *sentia Cal-*
duntur, præsertim in locis illis, in quibus *viniano-*
Minister per tria, quatuor & sex miliaria *rum.*
haberi non potest; hi certè eo adducen-
tur dogmate isto, ut nec per duos menses
subs infantes baptizari curabunt, censen-
tes nihil periculi subesse sive baptizatus
sive non baptizatus decedat infans. 4. Si
Calviniani sententiam Bezae acceptant, *Bezae effa-*
qui censet se malle ab ipso met Diabolo in *tum.*
Ministerii cathedra, sedente baptizatum
esse, quàm à privato Laico in Quæstioni-
bus q. 144. quanto magis nobis placet &
placere debet ritus etiam in primitiva Ec-
clesia usitatus, ut qui nec contemptum
aliquem ministeriorum portat, neque Ba-
ptismi essentia aliquid detrahit. Ex his igitur
liquet planè nullius esse momenti ex-
ceptiunculam illam, quia diverso de statu
controvertitur inter nos, quàm quem ex
locis allegatis præ tendit Confessio: adeo-
que firma adhuc permanet nostra assertio.

SECTIO III.
DE MATERIA
BAPTISMI

K 5

16. Ju-

*Dives in
Baptismo.*

*Aqua in
Baptismo
retinenda.*

16. Juxta Regulam Irenæi omne Sacramentum N. T. duabus constat rebus: *Terrena* videlicet & *Cœlesti*, ad quem modum etiam Baptismi ratio se habet. Est igitur res terrena in Baptismo *Aqua*, quam Deus ceu medium *εὐπόριον* ordinare voluit, ut sit medium regenerationis renovationisque nostræ: quod probatur & confirmatur 1. *Verbis Christi* Joh. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Oraculum hoc de Baptismo loquitur non tamen nisi cum expressa mentione rei externæ in Baptismo; ea propter introducit aquam hîc ut elementum aliquod, quod medium est & signum externum, quo cum res cœlestis conjungitur sacramentaliter, nostraque salus postmodum sic DEO per aquam & cum aqua agente perficitur. 2. *Baptismo Johannis*, qui affirmat se esse missum ad baptizandum *in aqua*, Joh. 1. v. 33. quo refertur simul & praxis officii ipsius, cum baptizaret in Jordane, Matth. 3. v. 6. 7. *11. 16.* Marc. 1. v. 5. 8. 9. Luc. 30. v. 16. 3. *Exemplo Apostolorum*, qui & ante & post Christi passionem non nisi aqua baptizarunt; ut patet ex Actor. 8. v. 36. Actor. 2. v. 38. Actor. 10. v. 47. 4. *Testimonijs primitivæ Ecclesiæ*, quæ nullum alium liquorem in Baptismo, sed veram

veram naturalem aquam adhibuit, de qua RE Patres sparsim in scriptis suis testantur.

17. De altera parte hujus Sacramenti, re nimirum cœlesti. Theologi per omnia non consentiunt: quidam enim Christi sanguinem, alii Spiritum sanctum; alii totam sacrosanctam Trinitatem; alii denique verbum institutionis substituunt. Pugnam tamen hanc non puta esse cadmæam, nec veram pugnam, sed phrasium tantum & verborum variationem. Nam una persona in Trinitate posita, reliquæ propter essentialiæ *ταυτότητα* five unitatem non excluduntur, sed includuntur. Nullus itaque error est, neque pugna vera, sed apprens, cum vel Spiritus sanctus, vel Christus supponitur pro re cœlesti in Baptismo. Nos tamen in definitione supra apposita substituimus juxta Christi institutionem, totam sacrosanctam Trinitatem DEUM Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Alii quidem substituant pro re cœlesti verbum; sed & hi idem volunt & dicunt quod nos. Nam verbum illud in Sacramento spectatum est triplex. 1. *Verbum mandati*, de Baptismo administrando. 2. *Verbum ordinationis divinæ*, de Baptismo administrando in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. 3. *Verbum promissionis* de fru-

*Res cœlestis
in Baptismo.*

*Verbum in
Baptismo
triplex.*

140 DE BAPTISMO.

fructu & efficacia Baptismi. Quia verò verbum mandati pertinet ad causam efficientem; verbum promissionis ad fructum; reliquum est, ut verbum ordinationis divinæ partem esse censeamus Baptismi: hoc autem nil aliud est, quam verbum de tribus personis Divinis; quas nos pro re cœlesti, verbis pro simplicioribus, biblicis expressimus.

*De re cœlesti
Confessionis
sententia.*

18. Confessio Helvetica non quidem in ipsa definitione Baptismi sed post lineas aliquot sanguinem Christi substituit pro re cœlesti; vel ad minimum substituere videtur id quod etiam alii, qui Calvinum sequuntur, faciunt. Et licet inficias non eò Christum *ἑαυτοῦ* in Baptismo præsentem esse, suoque sanguine. Fide mediante nos à peccatis abluere; cum Theologis tamen gravissimis censeo non posse commodo pro altera parte Baptismi sanguinem Christi substitui; & quidem duabus de causis. 1. Quia in institutione Baptismatis non fit expressa mentio sanguinis Christi, velut in Eucharistia: iudicium autem fieri debet de partibus essentialibus uniuscujusque Sacramenti ex sede propria, aut in sede Baptismi hic non est expressus; pro parte igitur non venditandus. 2. Quia hac ratione aliquo modo

ansa

ansa præberetur Calvinianis de propugnandis suis dogmatibus in Baptismo; puta de analogia illa significativa, quam intercedere putant inter sanguinem & aquam de duplicitate Baptismi, quem illi partiuntur inter *Internum*, qui fiat per Christi sanguinem immediatè, & *Externum*, qui per aquam. Non potest itaque pro parte Baptismi venditari sanguis Christi. Plures rationes legi possunt apud Dn. D. Gerhardum Tom. 4. Artic. 23. p. 907.

19. Neque tamen sanguis Christi è Baptismo excludendus; quia enim Filius Dei post factam incarnationem assumptam naturam personaliter sibi univit ea propter consequitur Christum in Baptismo præsentem esse non tantùm quoad naturam Divinam, sed etiam Humanam; adeoque Baptismo sanguis nequaquam excludendus: adest enim præsens 1. *ratione* *Respectu* *substantia*, carnem enim & sanguinem Filii Dei assumfit, omniaque opera Mediatoris per naturam assumptam perficit; ad *presentia* *Christi in* *Baptismo.* eoque etiam totus huic Sacramento præsens adest. 2. *ratione meriti*; omnis namque fructus Baptismatis provenit ex sanguine Christi pro nobis in ara crucis effuso. 3. *ratione efficacia*, mundamur enim in Baptismo à peccatis nostris sanguine Christi, Joh. 1.

v. 8.

v. 8. Et his respectibus præsentia sanguinis Christi adstruitur, sive quod idem est, totus Christus atque sic etiam quoad naturam Humanam præsens esse in Baptismo creditur. Sed hoc nihil pro Calvinianis, cum longè alio respectu illi sanguinem Christi in Baptismo locum habere censent, quod jam fuit ostensum, & meliùs paulò post ostendetur.

20. His ita pro virili discussis & declaratis, ad Baptismi divisionem & Analogiam intercedentem inter res terrenas & cœlestes, ut Confessio putat, transeo. Dicit illa p. 144. internè nos renovari à Deo per Spiritum sanctum, externè verò nobis dari testimonium per aquam de collatione istorum internorum. Unde fit manifestum, confessioni Baptismum esse duplicem; Internum sancti Spiritus. Externum verò Aquæ. Quæ irrectitudo Confessionis ipsiusmet armis annihilari & refutari potest: sic enim argumentor: *Quodcumq; unum est, illud duplex non est. Sed Baptismus Confessionis unus est. Ergo Baptismus Confessionis duplex non est.* Majoris consequentia est firma; illud enim divisibilitatem in se non habet, sed eandem simpliciter removet & negat; hoc verò admittit: per nullum enim aliud à se invicem discrimi-

Baptismus duplex Confessionis.

Argumentum.

minantur, quàm quòd unitas indivisionem, multitudo verò divisionem impli-
cant. Minor est Confessionis p. 143. *Quare illationis stat sua immota veritas. Aut igitur vera sunt Confessionis verba de Baptismi unitate aut falsa. Si falsa, cur pro vero falsum Christiano gregi obtrudit? cur simpliciores erroribus fatiat. Si vera, tum Baptismus jam duplex operatione non erit; adeoque falsa sint oportet Confessionis verba illa, quibus censet, quòd internè renovemur per Spiritum sanctum, & quidem immediatè, externè autem accipiamus per aquam symbolum istius renovationis.*

21. 2. Ex absurdo colligo, Baptismum Calvinisticum duplicatum non esse N. T. *Calvinianus non est Sacramentum N. T. duabus rebus constat quàm copulatisimè unitis, juxta regulam Irenæi: Sed Confessionis Baptismus internus, qui solius aquæ, non constant duabus rebus, quàm copulatisimè unitis. Ergo Confessionis Baptismus internus & externus non est Sacramentum N. T.* Minorem probat ipsa Confessio loco dicto; Internus enim Baptismus illi fit per Spiritum sanctum, & quidem immediatè, quod si ita se res habet; ubi quæso res terrena est concurrens ad hanc operationem per modum instru-

Dilemma.

men-

menti. Externus verò solius aquæ; ubi ad hunc requirens res cœlestis est? adeoq; conjunctissima disjungit, & constitutiva longissimè eliminat. Et quod pace ac venia Confessorum dixerim, ferè sacrilegium est, suffurari ab interno rem terrenam & externo rem cœlestem. Quod cum monstruosum sit, quid opus est distinctiones fingere, ubi nullæ sunt; aligena inducere, quæ stare nequeunt.

*Analogia
Baptismatis
sensu Con-
fess. quæ.*

22. Analogiam verius *ἀναλογία* Confess. p. 145. expressam, nullo modo comprobare possum. Non omnem quidem analogiam nego, sed dari in hoc sanctissimo thesauro lubens concedo, quam B. Lutherus in Catechismo minore q. 4. expressit, quod Advers. remitto. Confessionis tamen analogiam ceu inanem verborum strepitum perniciosè detestor; quam sub sequentibus rationibus Heterogeneam esse evinco. 1. Quia aqua in Baptismo non amplius juxta communem usum consideratur, sed juxta usum singularem ac sacramentalem; hoc est, non amplius est simpliciter aqua, sed quæ sit divino mandato inclusa, & verbo Dei comprehensa. Jam verò an non communiter aquam Baptismi est considerare, dum sordium illi ablutio adscribitur, ut adumbrat

*Rationes
probantes
Analogiam
Confess.
nullam esse.*

*Respectus
secundum
quem aqua
in Baptismo
consideratur*

ret hæc eadem aqua internam ablationem. Adeoque Confessi. aqua non amplius potest Baptismi aqua nuncupari, sed communis, quia omnis aqua hoc officio defungitur, quoties adhibetur; quod quam longe distet à vero judice optime lector. Et quæso Calvinianos; Putentne aquam istam sacratissimam ideo esse institutam ut per illam sordes corporis abluantur, sicque interna ablutio adumbreretur. Si affirmant, tunc. 1. Blasphemi sunt in officium hujus aquæ. 2. Aquam hanc considerant secundum usum physicum in quo errant. 3. Tantilla aqua sordes corporis abluere non potest, ea propter tantum in parte illa illius adumbrationis fit locus, quæ aqua aspergitur; ideoque necessum erit Calvinianos construere integrum balneum, si nolunt adumbrationem in toto homine fieri; quæ absurda sunt. Sin vero negant esse propterea institutam cur quæso amplius rixantur.

23. 2. Pugnat contra hanc Confessionis *ἐπιπροδοξίαν* ex professo D. Petrus, 1. Pet. 3, 21. ubi hæc leguntur verba: *ἡ σαρξὸς ἀπορτίσῃς ῥύψῃ*: quo non carnis sordes abluuntur. Quæ igitur fronte, quod Scriptura negat, aquæ Baptismali attribuunt Confessor. Si fors fontes inspexissent verius locuti fuissent, una cum Alberto Molnar Szemptizensi in

*Aqua Bap-
tismi non
amplius est
Baptismi
aqua, sed
communis.
Quæstio*

*Versio loci
Petri con-
tra Con-
fesso lib.*

versione Biblica loci istius. Petrus enim ablutionem sordium sive carnis expresse. per negationem, & non remouet à Baptismo, adeoque negat Aquam Baptismi esse aquam talem qua in Baptismo sordes carnis abluerentur; sed nos saluat & efficit bonam conscientiam apud Deum: quomodo? quia vere abluat peccata; absque enim peccatorum remissione conscientia tranquilla esse nequit. Adumbratio sive significatio illa prorsus scripturæ est ignota; ea propter etiam vana.

Dilemma.

24. 3. Ut fortius constringantur Adversarij ita infero: *Aut hæc ablutio interna & Spirituæ sit mediante aqua aut non sit.* Si hoc assumunt. 1. Baptismus amplius lavacrum regenerationis ac renouationis non erit quod contra scripturas. 2. Erit tantum pars Baptismi illud medium abluens, distinctum quoad esse & quoad operari ab altera parte, quod ἀπορον. 3. Infimos abibit unio Sacramentalis rei terrenæ cum cœlesti, quam tamen licet subdole & verbotenus ipsa quoque Confessio agnoscit. 4. Baptismus amplius non erit sigillum iustitiæ & gratiæ diuinæ promissionumque diuinarum quod contra Confessionem p. 133. Si posterius concedunt Adversarij tum jam habeo in quod volo. Partes

*Aburda
que ex con-
fess. senten-
sentia con-
sequenz.
Distinctio
partium
Baptismi.*

nim Baptismi distinguuntur tantum ratione sui esse, in hac unione non vero operari. Una enim & eadem est operatio in Baptismo Spiritus Sancti, quæ fit per aquam tanquam medium ordinarium: per quod ille salutem, vitam & iustitiam in baptizatis operatur: Et certè frigida causæ est analogiam illic aucupari ubi nulla est, modo ut aliquomodo suum dogma saluarent. Neque periculi subest aliquid si unum & eundem effectum utrinque adscribamus parti, propter conjunctionem arctissimam & mirabiliter singularem; Spiritus certe sanctus si aliquid fuisset, præcavisset neque de hac salutari aqua Baptismi ita locutus fuisset. Accedit & illud, quod instrumentales causæ, ab operationibus non excluduntur sed includuntur, adeoque recte de illis quoque effectus prædicatur: siquidem ut Thomas habet: 3. p. q. 29. a. 2. Instrumenti & causæ principalis actio est una veluti, Scriptio est & à manu & à calamo inadæquate tamen. Sic effectus iste Baptismi utrique adscribitur tum Aquæ tum operationi Spiritus Sancti, sed in adæquate huic ut causæ principali, illi ut salutari medio sive organo quod à causâ principe assumitur ad effectum hunc sanctissimum producendum.

*Operatio
una est in
Baptismo.*

*Instrumentum
causæ
principalis
operatio.*

L 2

dum.

dum. Et tolle causas instrumentales ab operatione divina quando nempe Deus nobiscum agit ordinarie & videbis quod dogma Calvinianorum ipsum verbum Divinum negabit esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Quod igitur scriptura dictante certum est negare proterve noli. Sic Baptismum scriptura esse lavacrum regenerationis censeat, huic igitur fide, & non fidam significationi illi inter aquam & Spiritum Calvinisticae quae vana est & lana caprima.

SECTIO. IV.

DE FORMA BAPTISMI.

Forma Baptismi duplex.

25. Materiam Baptismi sequitur Forma, quae una exquatuor Baptismi causis est, de qua jam. Forma Baptismi duplex est. I. *Externa*, quae duobus perficitur; I. *Immersione* baptizandi in aquam sive aspersione quae fit per aquam; vocabulum enim *baptizationis* utrunque denotat. 2. *Recitatione & pronunciatione* verborum institutionis ita ut clare dicat minister: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* II. *Interna*, quae nihil aliud est quam unio parti-

partium Sacramentalium; ut quando Aqua unitur cum tota sacro S. Trinitate & omnibus ejus beneficijs, fitque postmodum salutare medium offerendae & conferendae remissionis peccatorum. Forma haec verbis Christi Matth. 26. v. 19. exprimitur; ubi Apostolis demandatur ut baptizarent in nomine &c. quibus verbis Baptismi efficacia & autoritas declaratur; unioque rei coelestis cum terrestri in unitur; & denique discipulis fiducia & animositas in officio peragendo conciliatur. Forma igitur Baptismi verbis institutionis continetur.

26. Haec igitur nostrae ecclesiae hunc semper observarunt ordinem, ut affusa aqua super infantem baptizandum Minister clare & significanter dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti* In quibus verbis duo cum primis observanda veniunt Primum. Est quando Minister pronunciat haec verba: *Ego baptizo* tum hac ipsa pronunciatione tota actio Sacramentalis comprehenditur; quae & DEI & Ministri est. Non enim Minister sua auctoritate aut suo nomine baptizat, sed DEI instituentis Baptismate baptizat; adeoque ipse DEUS per Ministrum tanquam per dispensatorem sui mysterij ope-

Ritus Baptizationis nostrarum ecclesiarum.

Immersio an trina aristotalis fieri debeat.

ratur hocq; opus perficit; qua de re etiam superius dictum fuit. Neque hic urgeo vel trinam immersionem, vel totalem, siquidem hæc res utraque adiaphora est. Illa in p̄imitiva ecclesia viguit & adhæc usque tempora conservata est teste Tertul. adversus Prax. c. 16. ea de causa etiam apud nos retinetur ut res antiquissima: Hæc necessaria non est; quia Baptismi finis non est fordidum ablutio, sed regeneratio. Ideoq; distinguendum est inter *ἀνψω καὶ ἀνψεως τροπον*. Acceptio semper est necessaria, non enim ingreditur aliquis in regnum cælorum, nisi renatus ex aqua & Spiritu Joh. 3. 5. Modum autem istius acceptionis nequaquam; ideoque sive immergatur infans sine asperatur perinde est, neque aliquid ipsi Baptismo decedit: quia vero asperio hæctenus usita fuit in ecclesijs, ideoque & nunc ea retinenda erit.

*Distinctio
inter rem
& rei mo-
dum.*

26. Secundū verba illa institutionis magnam habent efficaciam, quando ait Minister: *in nomine* nō enim in nominibus sed in nomine baptizamur, ut hac ratione testimoniū perhibeatur triū in divinitate personarum, unam tantum esse essentiam reliquis omnibus personis communem, contra hodiernos *Photinians & NeoTurcas.* Cum

Cum primis autem tria notant verba illa institutionis. 1. Mandatum DEI. 2. Agnitionem & invocationem veri DEI. 3. Ostenditur iisdem Baptismum non esse medium aliquod nudum, sed tale cui ipse DEUS adest & actionem Baptismi per ministrum perficit. 4. Quod DEUS Pater hunc qui baptizatur, in Baptismo & per Baptismum recipiat in gratiam propter Filij sui meritum, quem post modum Spiritus S. ad æternam salutem obsignat.

27. Evocet hinc in super totam Sacro. S. Trinitatem huic sacratissimo operi præsentissimam esse; quia Baptismus non est institutum humanum, sed medium salutare ac organon vere divinum, sigillatim hanc præsentiam trium personarum comprobant ipsa scriptura. *Patris* 1. Petr. 3. v. 21. Tit. 3. v. 5. *Filij* Ephes. 5. v. 25. & 26. Rom. 6. v. 3. 1. Petr. 3. 21. Gal. 3. v. 29. *Spiritus Sancti*, Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Triplici vero ratione adest Spiritus S. in Baptismo. 1. *ratione essentia*, sicut reliquæ personæ Trinitatis. 2. *quoad oblationem* salutaris efficacis & beneficiorum Christi. 3. *quoad obsignationem* fæderis inrer DEUM & baptizatum S. S. Unde mentes piæ contra carnis tentationes & Inctam illam de qua Paulus Gal. 5.

*Præsentia
Sacro. S.
Trinitatis
in Baptis-
mo.*

*Qui modis
præsentis in
Baptis. di-
catur esse
S. S.*

plurimum sese consolari & erigere poterunt, quia non nuda cæremonia Baptismus, sed res est sanctissima, quo mediante cum baptizatis Deus Pater & Filius inquit, & Spiritus Sanctus hanc obsignat & applicat.

QUÆSTIO UNICA.

Possuntne Pastores Calviniani in Ungaria Confessioni Helveticæ addicti aliquem in agone positum consolari, quod is certo credere debeat, se esse regeneratum & renovatum, & quod propter Christum in Baptismo peccatorum remissionem sit consecutus & propter hunc ipsum in numerum filiorum DEI cooptatus? N.

*Encomia
Baptismi.*

Veteribus olim in primitiva Ecclesia Baptismus introitus ad regnum cælorum, initiationis Sacramentum, porta cæli, primus omnium Christianorum introitus fuit dicens. Cui describitur renascentia & sanctificatio Ephes. 5. v. 26. 1. Cor. 6. v. 11. donorum Spiritus Sancti per Baptismum collatorum participatio

patio Actor. 2. v. 38. Luc. 3. v. 3. Salvatio Tit. 3. v. 3. 1. Petr. 3. v. 21. quæ omnia clare declarant Baptismum non esse nudum aliquod signum, sive aquam vulgarem; sed sigillum renascentiæ & renovationis, sive interrogatio bonæ conscientiæ apud DEUM. Nullum itaque amplius homini, in quacunque tentatio ne dubitum, de gratuita remissione peccatorum, per hoc Sacramentum ceu manus DEI elargita, oboriri potest: Quia per hoc Sacramentum Baptizati Filium Dei redemptorem, suum indunt, Gal. 3. v. 20. cum DEO Patre factus in eundo in filios cooptantur Gal. 4. v. 5. à Spiritu Sancto sanctificantur, & eriguntur in spem futuræ vitæ. Scite loquitur de hac salutari efficacia Baptismi Anselmus in l. Medit. c. 6. *Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor & tu cognoscis me inter redemptos tuos, & rexisti & elevasti me ad noticiam & amorem tuum. Fecisti me considerare de salute anima mea, pro qua dedisti animam tuam, & mihi sicut sequerer promissisti gloriam tuam.* Sic David contra Goliathum Sacramento circumcissionis sese erigabat, 1. Sam. 17. 42. Sic & nos omnes tenebras dubitationis dispellentes, hanc eandem Baptismi salutarem efficaciam, opponere omnis generis tentationibus debemus:

mus: atque sic piè & efficaciter quemvis in agone constitutum erigere consolando possumus. Calviniani his similes consolationes nunquam instillare suis auditoribus possunt, unde illis dubitare vel piè tantum sperare suadent, id quod sequentibus rationibus evinco.

Rationes
sententia
sra.

1.

1. *Quicumque consent Baptismum tantum significare lavacrum regenerationis, & non esse ipsam regenerationem, illi nec soli credere possunt se esse regeneratos, nec alios consolari: Atqui Calviniani Ungari consent Baptismum tantum significare lavacrum regenerationis, & non esse ipsam regenerationem. Ergo &c.* Majoris consequentia est firma, quia significare lavacrum, & esse ipsum lavacrum toto genere differunt. Minor. est Confess. p. 144. quam insuper confirmat Calvinus lib. 4. instit. cap. 15. sect. 2.

2.

2. *Apud quoscunque Baptismus est expers medium conferendi gratiam, illi credere se esse in gratiam receptos nec possunt nec debent, nec alijs persuadere valent. Atqui apud Calvinianos Ungaros Baptismus est expers medium conferendi gratiam: Ergo &c.* Major est extra controversiam. Minor probatur. 1. quia Baptismo tantum revocantz beneficia Dei in memoriam, p. 144. sive ut rectius mentem ipsorum declarem, declaratur per Baptismum.

bene

beneficiorum participatio: Non itaque confert, adeoque medium *μεταδοτικόν* nequaquam apud illos est. 2. quia Baptismo aquæ sordes corporis abluuntur: Ergò non gratia per hanc confertur. p. 145. Refer huc voces illas quorundam Calvinianorum planè Phorinianas. Compertum est, ut quidam mediocriter literatus Calvinianus diceret; Sacramenta esse tantum signa nuda, distinguuntia Christianos ab alijs, adeoque non esse organa ad salutem facientia; sed quod absolutè eligamur ad salutem, sine medijs, declaramur verò in tempore, & distinguimur per Sacramenta ab alijs: cogita optime lector quos fructus edidit foetus Calvinianus apud Auditores suos, hæc illa radicatio erroris trahens ad desperationem homines, quam fuge.

Fructus
Calviniani.

3. *Quicumque declarantur per Baptismum tantum Christiani, & non fiunt, illi se in numerum Fidorum DE Lcooptatos esse, nec ipsi credere, nec alijs persuadere possunt. Sed Calviniani Ungari per Baptismum tantum declarantur Christiani, & non fiunt. Ergo &c.* Major est extra controversiam. Minor est Confess. p. 144. & Bucani in loco 47. p. 648. Stat itaque & conclusionis sua veritas immota ac firmissima. Adcoque ut uno verbo hanc conclu-

3.

clu-

*Hypothesis
Calvini
nisi enervatur
Baptismi
efficacia.*

*Salus ad-
scribitur &
merito
Christi &
Baptismo,
sed respectu
diverso.*

cludam quæstionem, omnem efficaciam Baptismi suis positionibus & phrasibus enervant Calviniani, quia censent sententiam nostram cum doctrina de merito Christi consistere non posse. Sed bene se res habet, putant enim & non certò affirmant. Opinio vero non est demonstratio: & ad rem quicquam hæc exceptio facit, siquidem collatio gratiæ & justificationis, merito Christi & Baptismo, quæ adscribitur, non se habet pro oppositis, sed subordinatis. Salvamur enim *merito Christi*, ut causa salutis meritoria, *Baptismo* ut instrumento, sive Organo, quæ hæc salus conferitur & applicatur Sacramento utentibus. Non enim immediate DEUS sua dona elargitur, sed per certa media, quibus homines legitimo modo uti vult. Et si per fidem juxta confessionem, in Arsiculo Justificationis salvamur, tanquam per instrumentum apprehendens, cur non & per Baptismum, cum & hoc ex parte DEI est medium conferens. Prius hoc contra Pontificios una nobiscum propugnant Calviniani: concedant igitur oportet & hoc posterius. Uti enim Fides ex parte nostri est medium apprehendens Christum cum omnibus beneficiis & in Christo gratiam DEI ita ex parte DEI Baptismus est medium offerens hanc

hanc gratiam. In efficax igitur imo nulla est consolatio Calvinianorum.

SECTIO V.

DE FINE BAPTISMI.

27. Fuit Forma Baptismi, sequitur jam *Finis*, qui præcipue triplex est, 1. *Peccatorum remissio*. Hoc illud est vestimentum candidum, signaculum indelebile, uti loquuntur Patres, quo captivitate liberamur, delicias Paradyfi consequimur, & charisma adoptionis apprehendimus: fiunt verò hæc cum Baptismate nobis confertur peccatorum remissio, remissorum certificatio, spei in DEUM erectio. Expressit hunc finem B. Lutherus in Catechismo Minori, quæstione 2. Exprimunt hanc vaticinia Prophetarum Ezech. 37, v. 25. Zach. 13, v. 1. Commonstrant eundem Scripturæ dicta Actor. 2, v. 38, quod etiam ipsa allegat Confessio, pag. 143. Actor. 22, v. 16. Ex quibus ita colligo: *Quicumque baptizantur in nomine IESU CHRISTI in remissionem peccatorum, illis per hoc salutare medium confertur & applicatur remissio peccatorum, ac Christiani in nomine Christi baptizantur; Ergò Christianis per hoc salutare medium confertur, & applicatur*

1. Peccatorum remissio

Argumentum sententia affirmativa

applicatur remissio peccatorum, & per conf. effectus hic Baptismo Aquæ, ceu causæ instrumentali rectè adscribitur. Consequentia est firma. 1. quia Effectus de causis quoque cooperantibus & Instrumentalibus rectè prædicatur, uti patet ex Roman. 1. vers. 16. 2. Quia causa efficiens assumit organon ad producendum effectum: ut itaque actio est numero una in productione hujus effectus, ita etiam attributio unà est de causis hujus effectus, licet per determinationem ut causæ primæ, & instrumento. Minor est scripturæ. Quare Conclusio non negabitur. Aut igitur verum erit Christianos in nomine Christi baptizari, aut falsum. Si verum, tum ex ipso remissionem peccatorum per hanc Baptismi susceptionem consequuntur, quia sic docent verba Institutionis, & mandati. Matth. 28. v. ult. & Marc. 16. Si falsum, tum veritati locus nullus erit. Sed puto Calvinianos prius malle agnoscere, & hoc profligari.

2. *Regeneratio & renovatio.*

28. *Regeneratio & renovatio.* Fimus, non nascimur Christiani teste Tertull. in Apol. c. 17. Fimus vero medijs ordinarijs a Deo, ad nostri regenerationem ordinatis, qualia, verbum & Sacramenta, per quæ DEUS tanquam per manus suas nobiscum loquitur

tur, ad se nos allicit, & donis coronat. Talis verò regeneratio contingit, dum homo Caro de Carne, Ioh. 3. v. 6. in peccatis conceptus, Ps. v. 4. natura filius iræ Eph. 3. v. 2. 3. efficaci oratione Spiritus sancti per Baptismum regeneratur. Ioh. 3. v. 5. in filium cooptratus, in Christum inferitur, ad eoque hæres vitæ æternæ efficitur. Huc refer dicta scripturæ. Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Gal 3. v. 27. Unde jam colligo:

Per quodcumq; regeneramur ac renovamur, illud est medium regenerationis & renovationis. Atqui per Baptismum regeneramur & renovamur. Ergo. &c. Major est extra controversiam. Minor est Scripturæ, uti jam ex supra allegatis patet: Stat itaque & illationis immota veritas.

29. 3. *Salvatio.* Fines isti ita sunt concatenati, ut uno posito, omnes ponantur, & uno excluso, omnes reliqui negentur. Si enim salvamur per Baptismum, tum etiam regeneramur, & peccatorum remissionem consequimur, cum nemo salvetur, nisi regeneratus, & à peccatis per Christum liberatus. Passim autem variis in Sacris literis Salvatio adscribitur: verum non ex æquo omnibus, sed per subordinationem, sive magis & minus. Interdum *gratia DEI*, quæ movit Patrem benevolum ut in Filio eligere-

Argumentum comprobans sententiam

3. *Salvatio.*

Salvatio multis adscribitur per subordinationem.

geremur ad vitam. Eph. 1. v. 4. Interdum *meriti Christi*, ut causæ meritoria hanc salutem procuranti, cuius sanguis effusus est in remissionem peccatorum. Matth. 26. v. 28. Interdum *fidei* ut causæ instrumentali, sive apprehendenti Christum ex parte hominum. *Baptismo*, ut causæ conferenti ex parte DEI, qui in suo consilio proposuit, nobisque in scriptura revelavit, quod singulis baptizatis salutem partam applicare, conferre, & offerre per Baptismum velit. Quæ causæ non sunt sibi invicem oppositæ, cum nulla sit hic legitima oppositio juxta requisita oppositorum, sed subordinatæ, ita tamen, ut plane nulla ex hoc opere excludatur, sed omnes simul includantur. Quibus jam ita declaratis sic colligo.

Argumentum.

Per quod salvamur, illud est medium salutis. At per Baptismum salvamur: Ergo, &c. Majoris consequentia est firma, quia actus secundus præsupponit primum. Qui ergo se salutem consecutum esse per Baptismum censet, is Baptismo operationem salutis adscribit. Minor est Scripturæ. Tit. 3. v. 5. Sunt & alii quamplurimi fines baptismi secundarii, quos sciens prætermitto, cum & Confessio illorum reminiscatur.

Cocisimus Confessio.

Placet hic Confessionis mentem de Finibus expendere. Antiquum & usitatum

cocisimum in declaratione Finium re-coquit Confessio, quando inquit: *Per Baptismum in memoriam nobis revocari DEI beneficia, que humano generi præstita essent* p. 144. Verum facilis armaturæ est hæc militia. Nam 1. Confessio petit principium hac sua sententia. Et si hoc verum esset, tum & Oratio Dominica, Evangelium, Passionis historia, Symbolum fidei, forent Baptismata, quia & per hæc in memoriam nobis revocantur DEI beneficia. 2. finis hic ex scriptura probari nequit, adeoque extra circumquasitio versatur Confessio, atque sic Finem primum non assequitur. 3. per retorsionem dico: quia per Baptismum DEI beneficia nobis conferuntur, offeruntur & applicantur, tum non primario in eodem nobis in memoriam revocantur: prius jam probatum dedit, nequaquam igitur negari potest posterius. 4. Finis hic non petitur, ex institutionis verbis: ita que ut alienum non admitto.

31. Quinto, & ultimo, secum pugnat Confessio, hac Finis substitutione, id quod sic ostendo:

Quicumque per Baptismum inscribuntur & inscribuntur in fœdus filiorum Dei, illi quatenus hanc institutionem per Baptismum non accipiunt, non eisdem per hoc Sacramentum primo reminiscuntur. At qui in nomine Christi baptizantur in fœdus filiorum

*Canis
Lutherus
de
Baptismo
p. 144.*

*Ever sic sen-
tentia Cal-
viniana.*

liorum

liorum DEI inscribuntur. Ergo illi qui in nomine Christi baptizantur, quatenus hanc inscriptionem per Baptismum accipiunt, non ejusdem per hoc Sacramentum memorantur. Majoris consequentiam notificat particula reduplicativa. Minor est Confessionis p. 144. Non negabunt itaq; Confessores, nisi absurdi esse vellent, illationem: Apparet hinc fructus Confessionis a Scriptura deviendo facile in quævis præcipitia declinet, & manifestissima absurda etiam ipsa Scriptura reclamante adstruat: quod fit manifestum exinde: cum enim semel opinione de reminiscencia beneficiorum per Baptisma, Confessio laborare inciperet, evenit, ut non sine manifestissima injuria Spiritus Sancti, aqua Baptismi sordes tantum corporis abluere censeret. p. 145. contra claram literam 1. Pet. 3. v. 21. quam injuriam ipsi Spiritui Sancto, ceu æquissimo Judicis vindicandam commendamus. memores dicti Iohannis, cap. 12. v. 48. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum *neives aut ov in extremo die.*

32. Filios Calvinianorum non inscribi per Baptismum, sive inseri in fœdus Divinum, de quo tamen superciliosè gloriatur Confessio, sic probo, quo probato, contradictionem, sive potius pugnam cum Calviniano ipsam ducere comonstrabo. *Quis- cunq;*

*Causa ab
surdorum
que Con-
fessio adsc-
rit.*

*Filij Calvi-
nianorum
non inscri-
buntur in
fœdus divi-
num.*

cunq; per Baptismum inscribuntur in fœdus Divinum, illi ante hanc inscriptionem in fœdere non sunt, Sed Infantes Calvinianorum ante Baptismum sunt in fœdere; Ergo Infantes Calvinianorum per Baptismum non inscribuntur in fœdus Divinum. Majoris Consequentia est firma, quia hæc insertio sive inscriptio fit propter carentiam, qua exules ante hac erant a fœdere DEI. Minor est Calvini lib. 4. Instit. cap. 16. sect. 24. & c. 15. sect. 20. Prius itaq; invicem convenient oportet de multis, priusquam Aristocratica hac autoritate libello publico, aliquid adfirmare præsumant Confessores Calviniani, quod fiet 48. Junij.

QUÆSTIO.

*An non Calviniani Ministri in Ungaria
Infantes suorum baptizando
Obstetricari vide-
antur?*

Ex ipsorum hypothibus hoc colligi posse probabiliter affirmo: Baptismus enim illis est aqua, qua sordes abluuntur corporis ad declarandam analogiam internæ ablutionis, quæ fit per Spiritum Sanctum: sic enim loquuntur pag. 145. *Mortaz viz (subaudi*

Baptismi) a szennyet el tisztogattya, az megh
ajuttak it megh élezti es az megh hevvölte resteket
megh viéttya es hevösiti. Az Istennek Kegyel me
penig ezta. lökökkel tseleoszä labatatlankipen
avagy lölki kigen. Et pag. 135. Vallastiven, hogy az
Sacramentomoknak vatosagath az Vr jeleket pe-
nig az Vrsak Zolgaja. Qua hypothefi præ-
supposita videntur obstetricum viçes jam
libere ad quod sic evinco. *Quibuscumq;* con-
veniunt nota obstetricum: illis etiam ipsum offi-
cium recte tribuitur. Sed Calvinianis Ministris
conveniunt nota obstetricum: Ergo Calvinianis Mi-
nistris etiam ipsum Officium recte competit, & per
cons Obstetricis appellari possunt & debent.
Propositio est firma, quia affectiones rei
immediatè ab illa dependentes, cui com-
petunt, illi rem ipsam competere rectè
censeo, ut Inductio Exemplorum probat:
Sic cui Entis affectiones attribuntur, qua-
les Unitas, Veritas, Bonitas, illud Ens
esse, nemo nisi imperitus negabit. Mi-
norem probo, quia obstetricis officium
è cæteris etiam est, infantem à sordibus
purgare. Jam autem Calvinianis stantibus
suis Hypothesibus se Infantem baptizare
non possunt fateri, quia per aquam non fit
regeneratio, sive à peccatis, ordinante sic
DEO, baptizatio, sed Carnis sordium ab-
lutio, quod obstetricis est: argue sic, qui
sibi

Sententia
probatio.

sibi arripiunt officium hoc nomine hoc
nuncupari rectissime possunt: Conspe-
cto igitur Calviniano Pastore, rectissime
dico: *Hic est Purgans sordes Carnis, sive Obste-
trix*, quia per illum Infans non abluitur à
sordibus cordis, sive animæ, sed corporis.
Quod officium illis non invidabo, sit illis
ad furas usque, modo mecum aucta in dies
sit veritas: quam o Unica & dulcis Veritas
mi JESU CHRISTE auge in nobis.

SECTIO VI.

DE CONTRADICTIONIBUS CONFESS. IN hoc Articulo.

33. Multas hic pugnans Confess. anno-
tare possim, sed temporis angustia præmo-
neor. ne tantam congeriem faciam; placet
itaque primarias adscribere, ubi ostendam
Confess. funestum ducere bellum & cum
patribus suis, & secum.

34. 1. Confess. p. 144. Eos qui in nomi-
ne Christi baptizantur, à sordibus peccati
mundari dicit: Ubi duo probè notanda.
1. In cuius nomine fiat baptismus. 2. In
quem finem. Quoad primum, non negat
Baptismum fieri in nomine Christi. At ille
Baptismus institutus est, ex Aqua & Spiritu

p. 144
1.

Non itaque elementum aquæ ab operatione hac salutari separanda. 2. Finem Baptismi notat mundationem sordium; sed hæc fit in & per aquam. In fumos itaque interna illa & diversa operatio Baptismi redit. His declaratis, conciliet si potest Confessio Patres suos secum. Zvinglius ait, externum Baptismum aqua constantem ad peccatorum ablationem nihil facere, fol. 70. tract. de Bapt. Et fol. 97. quoniam Baptismus à DEO quidem institutus est, peccata tamen non abluit &c. Calvinus lib. 4. Inst. cap. 15. sect. 2. inquit, Quando Petrus dicit: Baptisma nos salvos facit, non significare voluit ablationem, & salutem nostram aqua perfici, &c. Confessio toti Baptismo ablationem sordium adscribit: Patres Calviniani aquæ hoc derogant, plus volentes sapere ipso Spiritu Sancto. Hic ergò Cadmæa pugna cui non apparet.

Secundum tenorem Confessionis baptizati abluuntur à sordibus peccati secundum Calvinum & Zvinglium nequaquam.

2. *Recipiuntur in numerum filiorum Dei baptizati juxta Confessionem & non re-*

34. 2. Confessio inscriptionem, infertionem, & receptionem in fœdus filiorum DEI per Baptismum fieri docet. p. 144. Examina hoc Confess. effatum, & comprehendens exuisse Patrum suorum, Calvin. pietatem, scilicet. P. Martyris, qui in L. C. p. 1524. censet parvulos baptizari, non ut primum adoptentur, regenerentur, & Christo inserantur: sed signifi-

obsi-

obsignationis ergò. Refer huc Calvinum lib. 4. Instit. c. 19. sect. 22. qui ex professo statuit. *non ideo baptizari Filios parentum fidelium, ut filij DEI tunc primum fierent, sed solenni signo recipiuntur, quia antea ad Christi corpus pertinebant.* Invenies plures in Exeg. Aug. Confess. Dn. D. Mentzeri p. 74. & seq. & p. 430. Confer Confessionis verba cum his, & patebit illis ex professo contradicere.

35. 3. Confessio pag. 146. Parvulos fidelium in fœdere nasci, vel potius esse, & horum etiam regnum cœlorum audacter pronuntiat: sed quomodo quæso conciliabit p. 144. Ubi omnes nos nasci in fordibus peccati, & natura esse filios iræ pronunciare plenis buccis non erubuit, quo etiam dictum Eph. 2. allegavit. Nasci certè in fœdere, & nasci in peccatis, & esse filios iræ sese tollunt. Tales & his similes pugnas in unum conglomerare qui vellet, minimo labore posset; verùm temporis redimendi gratia aliud assumo, & labori huic finem imponere propero.

ciuntur juxta alios que pugna est.

3.

Pugna,

QUÆSTIO.

An non Confessio in hoc Articulo Anabaptizat.

Remove quidem à se hanc injuriam omnibus conatur medullis, circa finem istius

*Anabapti-
zar Con-
fessio.* Articulū, sed oleum & operam perdit. Nam certe vix ovum ovo est simile, ac Confessio dogma eo in loco, cum Anabaptistico Fidei-um parentum liberos esse in fœdere DEI, adeoq; ut alii Calviniani loquuntur, propterea etiam sanctos ex professo tradit Confessio pag. 146. quid verò Anabaptista? hanc eandem resonantē melodiam, & contra nos iisdem verbis & Argumentis sententiam suam mordicus defendunt, uti videre est in colloq. Francenelche. Artic. 12. Action. 31. & sequentibus. In hujus verò sententiæ operosa refutatione multum sudandum opus non esse autumo, cum seipsam refutet Confessio pag. 144. quo referri possunt alia dicta, Joh. 3. v. 6. Psal. 51. v. 17 Job 14. v. 4. Manifestum itaque est Confessionem Anabaptizare 1. propter linguam Anabaptisticam. 2. propter easdem phrasas. 3. propter eadem Argumenta, ac mentem: quæ omnia sunt signa degenerationis. Et si hæc Confessionis sententia vera esse debet, quomodo quæso salvabit sententiam illorum, qua Infantes fide carere reliqui Calviniani docent? Ex data enim Hypothesi Confessio sic pro adstruenda Infantum fide colligo:

Argumentum exim Quicumque sunt sancti. (puta sanctitate vera & interna) illi habent fidem; quia illa sine hac

hac dari nequit. At Calvinianorum Infantes etiam ante Baptismum sunt sancti. uti Confessio vult. Ergo &c. Major jam probata. Minor est Confessionis. Negent itaque si citra absurditatem possunt illationem. Huc igitur referri potest Aphorismus B. Gregorii: *Veritas est simplex mendacium vero multiplex.* Nulquam enim suam turpitudinem ita falsitas contegit, quin non aliunde conspicua sit. Confessio hoc declarat, cum & sibi contradicit in eodem scripto, & alias hypotheses demolitur. Aut igitur infantes Calvinianorum sancti sunt de nativitate aut non sunt sancti. Si hoc, cur Confessio falso non prævia Scriptura ceu erroribus anticipata, liberos nasci sanctos censet? Si illud (loquor ex hypothesis) tum habebunt etiam fidem, quod contra Calvinianos. Sed jam hic finis esto.

EXERCITATIO IV.

DE

COENA DOMINI.

SECTIO I.

Continens Appellationes & Definitionem Cœnae Dominicæ.

1. Hactenus de Sacramento *Initiationis*; Continuetur Sacramentum *Confirmationis*;

M 5 Chryl

Dictum B. Gregorij.

Dilemma.

Chrysoft: *caput omnium bonorum*; Ambros: *Spirituali* medicina, dictum; quod jam auspice Christo, manna Cœlesti, & dulcissimæ animæ nostræ cibo, pro ingenii tenuitate, exercitatione hac & subsequenti, qua fieri potest fidelitate, ductus veritatis amore discutiam; *εὐσεβοδξίας* vero Confessionis ad normam veritatis examinabo, & simul illam coram facie veri consistere non posse, sed liqueferi, ostendam, Phrasis Orthodoxorum, quibus abutuntur Confessores, ad palliandum melius errorem suum vindicabo. Cujus laboris regimine Spiritus Sancti, initium lubens ab Appellationibus sumo.

Appellatio
Cœnæ du-
plex.

1. Mensa
Domini.

2. Cœna
Domini.

2. Appellationes hujus Sacramenti sunt, vel *Biblica*, vel *Ecclesiastica*. *Biblica* iterum sunt, vel *Primaria*, vel *Secundaria*. *Primaria* mihi sunt, quas codex Biblicus præcisè huic Sacramento tribuit, nullis verò aliis adscribit rebus, quales sunt, cum hoc Sacramentum nancupatur 1. *Mensa Domini*, 1. Cor. 10. v. 21. quod fit *μετονημικῶς* propter cibum, qui Christianis in mensa hac apponitur ad fruendum qui est Panis & Corpus Christi, Vinum & Sanguis Domini. 2. *Cœna Domini*. 1. Corinth. 11. v. 20. partim ab adjuncto temporis institutioni primæ, quo institutam esse constat ex Matth. 26. 1. Cor. 11. partim etiã à causa efficiente, IESU CHRISTI veri

veri DEI & HOMINIS, appellationem hanc sumit, qui in hoc Sacratissimo thesauro, manducationem veri ac Substantialis sui Corporis & Sanguinis mediantibus, Pane & VINO, in *ἀνάμνησιν* suæ Passionis ordinare voluit, Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Secundarias eas dico, quibus hoc Sacramentum, è longinquo quasi, & propter cœremonias quasdam ita denominatur, ut ex Act. 2. v. 42. 1. Cor. 10. v. 16. colligitur. Cœnam Domini vocari 1. *κοινωνία*; quia *κοινωνία* illi, qui participes sunt hujus Sacramenti, non possunt nõ simul fieri participes Corporis & Sanguinis Christi: Unde postmodum in Societatem Servatoris sui inseruntur, & mutuam agunt & alunt conjunctionem, inquit Damasceno de E. O. c. 14. 2. Vocatur *λεϊτεργία* ministerium sacrum, 2. *λεϊτεργία* quod fit *συνεθεδοχικῶς* positione nimirum generis pro specie. Quæ denominatio sumitur ex Act. 13. v. 2. Rom. 15. v. 16. 2. Cor. 9. v. 12. Phil. 2. v. 25. Ad hanc Classem quoque referri posse autumo denominationem *ἁγία γὰρ ἡ συνειρησία* *convivium sacrum* quasi propter mutuam charitatem ac dilectionem, qui mos in primitiva Ecclesia fuit usitatissimus, referente Tertulliano in Apol. c. 39. Cujus vestigia inveniuntur quoque in Sacris literis, 1. Cor. 10. v. 21. c. 11. v. 20. 21. 22. & in Ep. Iudæ, ubi expressa fit mentio *ἰσὺν ἀγαπῶν* v. 12. A. E. G.

4. *Ecclesiastica* vel sunt *prolate* à Veteris Ecclesiae Doctoribus vel à Recentioribus. A primitivae Ecclesiae Patribus, & cum primis, ab Irenæo appellata fuit Cœna Domini. 1. *Eucharistia* propter causam finalem, nimirum gratiarum actionem pro opere Redemptionis, ubi commesto Pane & Corpore Christi, gratiæ referuntur DEO pro immensa misericordia in opere Redemptionis erga Genus humanum sufficienter declarata. 2. *Σύναξις*, congregatio, quia celebrabatur tum cum Christiani convenirent in unum. Hinc & nervos congressuum publicorum, & Symbolum conjunctionis Christianorum dicitur & hodie. 3. Repertur in super appellatio sacrificii, oblationis hostiæ, holocausti, pro Cœna Sacra ob rationem geminam. 1. Ut muneribus illis, quæ offerebantur, tum gratitudo erga Deum, tum dilectio erga proximum declararetur. 2. Ut post sumptionem salutarem, fufis ad Deum precibus, illi pro hoc salutari dono gratias agerent, beneficia ipsius, velut unici sacrificii propitiatorii commemorarent, & commemorando prædicarent, docente Augustino Ep. 118. ad Ian. c. 2.

5. Recentioribus Cœna Domini, & quidem B. Luthero est *Sacramentum Altaris*, quam appellationem habet in Catechismo Majori & Minori, & in Art. Schmacc. ubi vicinum

num nomen pro vicino posuit. Altare pro Mensa respiciens ad munera prim. Ecclesiae, quibus conferendis nunquam non laborabant. Augustana Conf. retinuit nomen *Missæ*, ne videretur factum id, ut superstitionem Pontif. Missaticam approbaret, sed ex libertate Christiana citra omnem superstitionem nomen hoc retinuit, velut seculo illi, quo Sacramentum hoc denominabatur, usitatissimum. Nam veteribus Missas facere idem erat, ac munera in publ. loco offerre, Dominic. Cœnam celebrare, docente Tert. l. de Fuga in persecutione nō procul à fine.

Hodie maxime in usu est hujus Sacramenti appellatio, per phrasin Cœnæ Domini, quam & ipsa Confessio Calvinistica retinuit, & mihi ex omnibus optima esse videtur, ut quæ proximè ad naturam hujus Sacramenti declarandam accedit. Præmissis itaq; his, sic jam Cœnâ Domini definitio

Cœna Domini est Sacramentum Novi Testam. Definitio
 menti à Christo institutum, in quo verum Corpus Cœnæ D.
 & verus Sanguis Domini nostri IESU CHRISTI, in
 & sub Pane & Vino, omnibus manducantibus verè
 distribuitur, & promissio gratiæ singulari orè denti-
 bus applicatur, & obsignatur.

6. Definitio hæc nititur fundamento Institutionis, siue verbis Testamenti, è quibus ceu ex proprioario, divitiæ voluntariis est deprompta, quæ ut simplici stylo, & clara

1. Eucharistia.

Σύναξις.

ART. 118.

Sacramentum Altaris.

omnibus
 dicitur ad
 videretur

Missæ vo-
 cabulum
 quare retin-
 uerit Aug.
 Confessio

definitio
 Cœnæ D.
 ob signatur

*Influcio-
nis verba
sunt inter-
pretanda se-
cundum li-
teram.*

*Curiositas
Calvinia-
na quid se-
cum trahat*

clara litera sine omnibus involucris à Spi-
ritu Sancto proponuntur: ita etiam sumi
à nobis & venerari debent. Merito itaque
hic Calvinianam impietatem minor, qui si-
guras ponunt, ubi nullæ sunt, querunt, un-
de non eruntur, quasi verò Spiritus San-
ctus, linguæ & dogmatis spiritus, inter-
pres non aliter conscribi per Evangelistas
hæc verba Testamenti curasset, præsertim
cum præsciret litium ingentem stragem, si
secus intelligenda putasset.

7. Quæ onerosa & injuriosa ipsorum o-
pera, & vel ipsi DEO detestabili. 1. ipsam ver-
itatem in dubium vocans. Veritas hæc, ipse
DEI naturalis Filius, Homo & Deus, quem
Pater de celo clamando nobis ceu Doctorem
commendavit. Hic itaque, cum jam
morti vicinus esset, Sacramentum Eccle-
siae suæ hoc Sacratissimum ordinare vol-
uit. Putabisne itaque pia mens ipsum in
tam re ardua figuris usum fuisse, cum hoc
ipso Sacramento figuras & typos Veteris
Testamenti claudere voluit? Neutiquam.
Sed ut veritas ipsa simpliciter loquendo
curiositati omnem viam præcludat. Et qui
hanc sectantur, illi præciosum vili pen-
dunt, & veritatem Divinam in dubium vo-
cant. 2. Evangelistarum consonantiam labesat
dant & annihilant. Omnes Evangelistæ &
Paulus

Paulus ipse, Institutionem Cœnæ, eodem
tenore, literis & syllabis describunt, quæ
placida harmonia conciliat fidei præsidia.
Viderint igitur Calviniani, quibus omnia
mysteriorum rectè dicta & facta sunt figu-
rarum involucra, quid sint facturi, & quam
tandem hac sua doctrina certitudinem
conciliaturi. Ego veritati adhærescens sim-
pliciter verba Cœnæ esse intelligenda cen-
seo, & moveor cum primis ipsius Christi
verbis, qui in tam re ardua procul dubio si-
ne figuris locutus est, aliàs omnes loci My-
steriorum figuratè hac ratione & more
Photiniano interpretandi forent. Deinde
authoritate Theologorum nostrorum, à
quibus recedere mihi religio est. Sed pro
hac sententia Argumenta alicubi pete.

8. Posita hac Orthodoxorum Defini-
tione, quam jam paulo post per causas de-
clarabo peculiaribus Sectionibus, placeat
Confessionis definitionem paucis revide-
re. Antiquam melodiam & ipsi in omnibus
Sacramentis usitatissimam Cantilenam
decantat Confessio & in hoc loco, quan-
do dicit: *Dominum velle in memoria nos tenere
summa ejus beneficia, quæ per traditionem sui cor-
poris, & effusionem sanguinis acquisivit.* qualia,
peccatorum condonatio, è potestate Satanae
liberatio, & à morte æterna captivatio,

*Examen
definitionis
Calvinia-
nae.*

Disputatio

& quæ plura habet p. 147. Splendidè quidem hæc dicuntur, sed difficulter probantur; est in his veritas vocum, sed mera falsitas dogmatum. Pernego hoc, quod dicit Confessio nobis hic in memoriam revocari beneficia DEI; non per rerum Cœlestium præsentiam, sed absentiam, in adumbratione saltem Panis & Vini, uti rectè hanc esse Confess. mentem judico.

*Ingrati deprahenduntur
Confessores qui non beneficiorum semper recordantur.*

9. Nam 1. Si beneficiorum DEI jam ei numeratorum in celebratione hujus Sacramenti demum faciendæ, tum certè ingrati cuculi deprehenduntur Confessores in conspectu DEI, quippe qui vult, ut eum laudemus semper, & ubique locorum celebremus & magnificiamus: At hæc laus præcipuè consistit in memoria, & reminiscencia Redemptionis, peccatorum remissionis, &c. Aut igitur indelinq̄nter Calvinianis utendum erit hoc convivio, ut sic crebrius beneficiorum DEI memores essent; aut præter memoriam hanc peculiare & principalius aliquid intenditur in hoc Sacramento. Prius ipsi non concedunt. Concedant igitur posterius, necesse est. Quamvis vero lubenter largior beneficio, rû DEI hic fieri memoriã, cum & ipsa sumtio ac bibitio Corporis & Sanguinis Christi nil aliud sit, quam Divinũ beneficium: sed hanc sine præsentia rerũ Cœlestiũ in Cœna, per

Dilemma.

per solam adumbrationem fieri pernego: Optimè enim memoramur etiam rei præsentis. Suprà hac de re pluribus egi. 2. Hoc ex institutionis verbis non elicitur, igitur ea facilitate rejicio, quã dicitur à Confessoribus. 3. Hæc memoria fieri debet per manducationem Corporis cum Pane & bibitione Sanguinis cum Vino: non igitur nuda est ἀνάμνησις, sed memoria rerum præsentium, sacramentaliter rebus terrenis unitarum. Petit itaque principium Confessio, nos jam paulò pluribus hæc de re.

SECTIO II.

DE CAUSA EFFICIENTE.

10. Jam data Definitio, quatuor constat Causis, quarum principalis, sive Efficiens est CHRISTUS *Ἰεσὺς Χριστὸς* Homo & DEVS, verus & naturalis DEI Filius: itemq̄; verus & naturalis Homo, cui velut Doctori ut adhæreamus, mandato Patris cœlestis: Hunc audite, præmonemur, Matth. 17. v. 5. Est verò Christus Præses, Dispensator & Institutor bonorum istorum, secundum utramque naturam, quippe in quo post semel factam naturarum arctissimam Unionem, nulla amplius est

*Efficiens
cœna Christi
est se-
cundum
utramq̄;
naturam.*

N

divul-

divulsio aut separatio, neque enim λόγος quod semel assumpsit, aliquando deponet aut deferet, sed eidem semper unitissimus erit, & presentissimus, cum eadem presentissimè regnando, & dominando, uti pia loquitur Antiquitas.

11. Confessio p. 147. videtur hanc eandem nobiscum sapere Orthodoxiam, cum iisdem parasibus & verbis, Jesum Christum DEI Filium Cœnæ Domini Authorem ac Institutorem asserat, quæ locutione quam facillimè fidem faceret, qui illi tenui assensu assentiretur: At ipsam loqui Orthodoxè *credat Iudæus Apella, non ego.* Dico itaque Confess. his verbis labiis tantum sonum edere, non verò veritatem profiteri; & ut manifestius sciant, quid velim Conscientia bona si salvas suas hypotheses Calviniani esse volunt, nunquam humanam Christi naturam ad causam Efficientem referre possunt, unde postmodum patebit, sinistrè statuere Jesum Christum instituisse Cœnam Domini, cum ille sit DEUS & Homo: Sequentibus itaque rationibus ipsorum os obstruo.

12. 1. Nullum nudum instrumentum potest esse causa Efficiens Cœnæ Domini. Sed Calvinianis Caro Christi est nudum instrumentum. Ergo. Caro Christi apud Calvinianos non potest esse causa efficiens Cœnæ Domini. Majoris consequentia est firma; quia instrumentum nudum,

Calvinianis
Christum non
est efficiens
causa cœnæ
secundum
utramque
naturam.

Probatio
effati.
1.

& causa Efficiens sese tollunt: Hæc enim importat influxam adesse causati, id est, efficit: hoc minimè, sed assumitur à causa principe ad rem producendam. Et quamvis saniorum Philosophorum sententia sit, etiam Instrumentales causas influere adesse causati, unde etiam nomen causæ fortiuntur, tamen Calvinianis hoc omnino novum esse videtur, & à vero alienum adeoque rectè dico ex mente ipsorum, quod instrumentum sit tantum nudum signum; velut Keck. loquitur, passivum nihil cooperans causæ. Minor est Danæi in exam. Chemnit. p. 118. Con igitur illationem negabunt.

13. 2. Secundum quam naturam Christus est in cœlis, secundum eandem Cœnæ Domini causa Efficiens esse nequit. Atqui Christus secundum humanam naturam est in cœlis. Ergo &c. Propositio est firma, quia Efficientia requirit presentiam, & nullus dicitur Author rei jam peragenda: nisi sit etiam certum de ipsius presentia, & quatenus hic abest, eatenus vicem Efficientis non sustinet. Minor est Confess. ubi observat ingeminationem ejusdem phraseως. Aut igitur vere sunt Confess. verba, Carnem Christi esse in cœlo, ita, ne ampliùs sit in Cœna: Aut falsa: Si illud tum Efficiens Cœnæ esse nequit, adeoque cœnam illi habebunt sine Christo, sive In-

Dilemma:

flututores; Sin hoc, tum 1. thesin obtinui. 2. Confessio. errores proponit. 3. quoddam, quod Confessio proponit, erit falsum.

*Præsentia
negata effici-
entia si-
mul nega-
tur. puta in
Divinis.*

14. 3. *Quicumq; negant Carnis præsentiam, illi idem negant ejusdem Efficientiam. Atqui Calviniani negant Carnis præsentiam: Ergo etiam ejusdem efficientiam.* Consequentia est manifesta, quia, Efficientia divinâ requirit præsentiam Divinam. Non enim DEUS homo agit ut nudus homo, aut aliqua communis Creatura, sed ut naturalis DEI Filius, ubique suâ carne sibi unitissima præsentissimus: qui igitur negat ejus efficientiam, is neget necessum est simul etiam ipsius præsentiam, & e converso. Minor est Calvinianorû. Quare illatio erit firma.

15. 4. *Quicumq; negat manducationem corporis Christi, mediante pane, illi simul negant Christum quoad alteram naturam esse Cœnæ auctorem. Atqui Confessio negat manducationem Corporis Christi, quæ fit mediante Pane. Ergo &c.* Consequentia est firma. Sic enim Christus auctor est, ut simul sit cibus convivii hujus; qui itaque pernegat in convivio nos manducare Carnem auctoris, is pernegat ipsius auctoritatem institutionis, quod faciunt Calviniani. Minor est Confessio. p. 153. *Aut igitur Christus totus erit Cœnæ auctor, aut non erit.* Si prius, tum etiam mediante Pane Caro ipsius manducatur in Cœ-

Dilemma.

Cœna, & quia manducatur, etiam præsens est. & simul Cœnæ Domini causa efficiens. Sin posterius, tunc nec caro ipsius manducatur, Sacramentali manducatione puta, neque erit auctor Cœnæ. Adeoque Confessio Christum auctorem Cœnæ esse dicit, & non dicit. Dicit verbaliter, non dicit verò reapse sive revera, quo ipso, id quod dicit, non dicit.

16. Huc præterea referri potest sententia Calvinianorum de Unionem naturarum, quam *in unum* esse docent; negant Realem Idiomaticam communicationem; quæ omnia ad unum falsa erunt, si Confessionis sententia aliquo modo verificabitur; sic igitur aliquid Confessores debuisse scribillare, ne suas labefactarent hypotheses. *Dissonantia enim oris est dissonantia quoq; mentis, ac dogmatis.* Uno itaque verbo dico, Confessionem nihil hinc me credere posse.

SECTIO III DE MATERIALI CAUSA COENÆ DOMINI.

17. Ad cujusvis Sacramenti substantiam duo requirit Irenæus lib. 4. c. 34. atq; sic ad substantiam Cœnæ Domini quoque, quæ Sacramentum Confirmationis

N 3

est.

*Duae res
Cœnae D.
materiam
constituunt.*

est. In qua res trrenæ sunt *Panis & Vinum*; Cœlestes, *Corpus & Sanguis Domini*, quæ non naturaliter aut essentialiter, sed sacramentali Unionem invicem, juxta Christi institutionem uniuntur. Superficialiter lambens verba Irenæi sui oblita Confessio in artic. de Sacram. rem quoq; cœlestem pertinere ad Sacramenti constitutionem, licet hic secus loquitur, requirit p. 133. Quævis autem magis vertiginosa, quam veritati consona esse videantur hæc verba Confess. uti supra ostendi, relicto tamen multiplici, ipsi Confess. proprio, cavilli genere, lubèter accepto Confess. hæc verba, non ut ipsius superstitionem defendam, sed ex quibus posthac facilimè de præsentia Carnis in Cœna judicare poterò.

*Panis Cœnae
qualis esse
debeat.*

18. Panis in Cœna debet esse verus & naturalis, ex farina & aqua ignis virtute tostus, ut sit cibus idoneus, & aptus communicantibus. Non multum verò disputo de frivola, & infructuosa quæstione, quam Calviniani Ungari putant esse fundamentalem. An panis ille debeat esse azymus vel fermentatus: *Nam rei accidentia, non mutant ipsam rei substantiam.* Sive ille sit fermentatus, sive infermentatus, modò illi veri & naturalis panis definitio competat, bene se res habet; *hoc enim est Christi-*

Maxima.

stiana

stiana & Ecclesiastica libertatis, ut aliquis eo modo agat in his indifferentibus, quo Ecclesiam (puta veram & in fundamentalibus secum consentientem) agere, ad quam forte devenit, viderit, monente Aug. Epist. 118. ad Januar. ubi tamen usus obtinuit, ut Ostia distribuatur, hoc Sacramentum aut Pane, potest sine omni scandalo hic ritus, modò prius instructio & prædicatio ad populum hac de re præeat cum diligenti inculcatione libertatis Christianæ, quæ in talibus ceu indifferentibus dispensat ad bonum ordinem, potest dico retineri hic ritus. Si tamen rigorosè ab Adversariis ratio Confessionis nostræ aliquando exquiritur in aliquo loco, illic nec hac in re cedendum esse adversariis firmiter statuo, sed semel in Ecclesia retentum usum administrationis qui fit Ostiâ, retinendum esse judico.

19. Hic igitur meritò execror, & omnes pii mecum foetidos illos bardorum quorundam Calvinianorum in Ungaria sermones, qui Ostiam sive Panem hunc sanctificatum, qui in *noivavicus* corporis Christi devenit, 1. Cor. 11. plusquam blasphemio ore: (parce mihi DEUS rusticitatem hanc recitanti) *Satanae excrementum zoitanak*, esse pronunciant, quæritatem & ipse persapè exnianis audivi. Et han

*Encomia
Calvin. de
Ostia.*

soli retinent illi, qui Prælati quasi esse videntur, sed & simplicioribus eandem instillant, atque sic scandalo dato alios in perniciem ruere faciunt: Sic isti nil nisi carni & ori jucunda stillare sciunt. Calumniam hanc nos quantum fieri poterit, lubenter reprehendemus, & vitam viventis reprehendimus; quia tamen rabiem Diaboli non facilimè infringere valemus, DEO ceu justo vindicæ injuriam hanc vindicandam committimus.

20. *Vinum quoque requiritur naturale*, quia genimen vitis esse debet, Matth. 26. v. 29. Luc. 22. v. 18. Qualitatem hic vini, an debeat esse rubrum, album, aut alterius alicujus coloris, non necessariam esse, ut requiratur judicamus; sit tantummodò naturale & ex uvis expressum vinum, ut sit potus idoneus & aptus sumentibus. Quandoquidem absentia qualitatis, non minuit essentiam rei.

21. Res cælestes sunt. 1. *Sanctissimum Christi Corpus*, & illud verum & naturale, quod in hypostasin Filii DEI assumptum unà cum divina natura unitum, per quod Christus miracula edebat, cum discipulis in terris conversabatur, pro mundo it, mortuus est in eodem, à dexte-

*Res cælestis
in Coena
Domini.*

dexteram DEI confedit: quæ sententia petitur ex ipsis verbis institutionis: *Hoc meum est Corpus*. Ubi tria digne sunt observanda. 1. Quia os Christi dicit, *meum*, & non alterius Corpus, discrimen innuitur inter sacrificia V. T. ceu figuras & typos & ipsum Christi corpus, quod amplius non est figura aliqua & typos, sed ipsa realitas quo ad umbrationes sacrificiorum jam claudi & velari debebant. 2. Innuitur exhibitio rei non adumbratio, datur ipsum signatum non verò per signum tantum significatur: adeoque absentiam removens præsentiam his verbis Christus adstruit. Diserte enim loquitur, illud quod illis porrigit, & manducare præcipit esse corpus suum, non verò significare. 3. Per claram literam *Corpus* nominat Christus, quod manducationi subjicit, non autem figuram: ad removendam Calvinianorum metonymiam, & quidem Corpus, quod in mortem traditur: ubi figuram Corporis esse traditam in mortem, quis Calvinianorum, ut credam, mihi persuadet: Ne hilum igitur digne sunt miserationis ratiunculæ Calvinianæ pro erudenda Metonymia, quarum jam hodiè doctiores Calvinianos satis pudet, ut non oqus sit nobis operose hunc errorem refutare prolixis pagellis.

Tria observatione digna verbis Coenæ Domini tenenda.

22. Altera res cœlestis est *Sanguis Christi*, quem eo modo, quo priorem partem, verba Cœnæ, ipsius veritatis cœlestis verba declarant. Dicit enim Christus: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti*. Et Sanguinem hunc 1. vocat *Sanguinem suum*; ad innuendum discrimen inter sanguinem Agni paschalis, & alterius alicujus animalis ritu Mosaico consecrati: Non igitur est alienus sanguis, sed Filii DEI, quem pro mundi peccatis in ara crucis effundebat. 2. *Sanguinem Novi Testamenti*, & non Veteris, quo dicto omnis Metonymiarum nervus præciditur, & figuræ in fumos profligantur. Si enim est sanguis N. Testamenti tum figura sanguinis ampliùs locum, aut aliqua Metonymia habere nequit, quia hæc malignanter sese tollunt & destruunt. Prius ponit Christus: Igitur posterius hoc in fumos profligatur. Per sanguinem enim sacrificiorum V. T. Christi verus & substantialis adumbratur sanguis; at jam adveniente ipsa re typi & figuræ ampliùs locum habere nequeunt, cum Sanguis Novi Testamenti non sit umbratilis, sed realis & proprius sanguis.

23. Rerum autem istarum ex institutione Christi, virtute divinâ, fit supernaturalis & cœlestis, quam nos in scholis

Theo-

Sanguis N. T. figuram vini generat.

Theologorum, vocamus Sacramentalem, *Unio rerum* per modum divinum, unio; non verò fit in Cœna cœta illa, & analogica, quæ revera in se nulla *qualis est* est, cujus etiam ipsa meminit Confessio *quid sit?* p. 139. sed vera ac realis, quæ facit, ut propter hanc unionem Sacramentalem Panis verè dicatur Corpus Christi, & vinum Sanguis Domini.

24. Hinc porro fluit propter unionem Sacramentalem rerum istarum, & arctissimam copulam, vera realis & substantialis earundem in hoc mysterio præsentia: ita ut manducans manducando Panem manducet etiam ipsum corpus Christi, & bibendo vinum ipsum Sanguinem Domini sacramentaliter bibisse rectè videatur. Quam sententiam ut Scripturis sacris sive cœlesti veritati consonam & *justam* argumentis subsequentiis probabo, & Confess. è diametro oppono.

25. Primum Argumentum suppedi-
dant verba institutionis Cœnæ Domini, quorum declaratio paulò antè data fuit, ex quibus sic colligo: *Quicquid in Cœna, mediante Pane manducare & mediante vino bibere jubemur, illud præsens adsit necessum est.* Aut enim re ipsa manducare jubemur Corpus Christi aut non jubemur. Si illud tum præsens illud manducamus non absens; quia

Unio Sacramentalis rerum unitarum implicat præsentiam.

Sententia vera Argumentis roboratur, quorum

quia præsentem panem corpori unitum manducare jubemur. Si hoc tum evincunt Calviniani; sed quomodo verba institutionis amplius consistent? quomodo verum erit, accipite, manducate, hoc est, &c. Quod si hæc verba vera sunt, uti sunt tum Calviniani, sententia falsa erit, uti etiam est. *Sed Corpus Christi mediante Pane, & Sanguinem ipsius mediante vino manducare & bibere jubemur. Ergo, Corpus & Sanguis Christi in Cœna adsint necessum est.* Major est arctissima; Omnis enim manducatio sacramentalis prærequirit rei manducandæ præsentiam, quia umbræ manducari nequeunt realiter, neque etiam analogica manducatio est vera manducatio, sed solummodo somnium, quam qui credunt, de nihilo se satiari fatentur. Minor est Scripturæ ex verbis institutionis petita: Manducate, Hoc est Corpus meum; bibite, Hic est Sanguis Novi Testamenti. Nequit igitur negari illatio.

Analogica manducatio in Cœna est somnium.

26. 2. *Quocumq; pro nobis in remissionem peccatorum est effusum, & quod in Cœna Domini bibere jubemur, illud præsens adsit necessum est. Sed Sanguis Christi pro nobis, in remissionem peccatorum est effusus, & eandem in Cœna bibere jubemur. Ergo Sanguis Christi præsens adsit necessum est.* Majoris consequentia est firma;

qui

qui enim negat Sanguinis præsentiam & ipisus bibitionem, is simul ejusdem in remissionem peccatorum effusionem neget necessum est; quia illa instituta est propter testimonium hujus: ne igitur aliquod sit scandalum, & conscientias laqueus dubitandi de gratuita remissione peccatorum, per effusionem Sanguinis, injiciatur, credenda juxta claram literam Scripturæ est, & tenenda præsentia Sanguinis Christi. Aut itaq; credunt Calviniani sanguinis Christi in remissionem peccatorum nostrorum effusionem aut non credunt. Si hoc tum contradicunt Scripturis & Spiritui sancto. Sin illud tum etiam istius sanguinis Sacramentalem bibitionem in Cœna Domini credant necessum est. Sin hanc negant, tum propter coherentiam mysteri hujus simul & illam abnegant; adeoque quod credere se videntur, illud non credunt. Minor est Scripturæ, Luc. 22. v. 20. Non negatur igitur illatio.

27. 3. *Secundum quam naturam Christus pro nobis in mortem est traditus, secundum illam quoq; in Cœna ceu thesaurus præsens adest. Sed secundum humanam naturam quoq; in mortem pro nobis est traditus Christus. Ergo secundum Humanam naturam ceu thesaurus in Cœna præsens*

Natura in mortem tradita in Cœna Domini est præsens.

sens adest. Major est Confess. p. 148. Minor Scripturæ Coloff. 2. Rom. 3. Gal. 3. Phil. 2. Tim. 2. Quare conclusio negari nequit. Quisquis eris Calvinianorum, solve hunc nodum: *Salvator noster Christus est thesaurus Cœna Domini, adeoq; præsens. Salvator noster Christus est etiam secundum naturam Humanam. Ergo quidam qui est Salvator noster secundum naturam Humanam, quoq; est thesaurus Cœna Domini, adeoq; præsens.* Major est Confess. l. d. Minorem ipsi concedunt. Est igitur collectio firma. Et hoc Argumentum primum fudes erit in oculis Calvinianorum: quicquid enim exceperint, de præsentia spirituali, Analogica, &c. uti in more habent positum ad Majorem, facillimè redargui possunt ex opere redemptionis, ubi Humana natura non adumbrativè nec spiritualiter, sed in proprio sanguine & realiter pro nobis in mortem esse traditam, cuius est manifestum ex Sacris literis.

*Integritas
Sacramenti
realem cœ-
lestium re-
rum impli-
cat præsen-
tiam.*

28. Peti hoc Argumentum potest ab integritate Sacramenti. Ad Sacramenti integritatem duo requirere quoad essentialia supra ex regula Irenæi ostendi, quam etiam Confessio retinet, p. 133. Jam autem Sacramentum habet, se ut totum integrum utpote, quod ex partibus integrantibus

bus constat, & quarum alterutra sublata est, ipsa integritas tollitur, unde sic colligo: *Quicquid pertinet ad Cœna Domini integritatem, illud, ubi ipse est celebratio, præsens adesse necessum est. Atqui Corpus Christi pertinet ad integritatem Cœna Domini. Ergo ubi illa celebratur, adsit Corpus Christi necessum est.* Majorem confirmat Canon Laicus: Sublatâ parte integrali, tollitur rei integritas. Ast si præsentiam corporis Calviniani negant, tollunt Cœna Domini partem integram, vix posita est in præsentia ipsius. Minor est Irenæi & Confessionis. Non quit igitur negari illatio. Vel itaque integrum erit Calvinianis Sacramentum Cœna vel non erit. Si non erit, tum quorsum opus est tantis gloriationibus de Sacramenti integritate. Si erit, tum ultrò præsentiam Corporis Christi, sine quo hoc Sacramentum integrum esse nequit, agnoscere ipsos necessum est. Sin præsentiam agnoscere abnuunt, tum ipsos integrum Sacramentum non habere quivis rectissimè concludit.

29. Possent huc referri, & illa quatuor fundamenta B. nostri Lutheri probantia præsentiam carnis Christi in Cœna, & alia quamplurima ex Scriptura petita Argumenta, quæ partim Exerc. 1. sunt apposita, partim alio apponuntur tempore, nunc spon-

spontè hæc prætermitto, cum brevitatis & angustia temporis me avocant; propero itaque ad alia. Ex his omnibus pia mens veritatem nostræ sententiæ sufficienter cognoscere potest, quam sparsim nostri Theologi in voluminibus suis quam copiosissime tractarunt, ubi diligens Lector videbit, & scrupulos suos, si illi salus curæ est, eximat.

*Exceptio
Confessio-
nis.*

30. Excipiunt Confessores ad hæc Argumenta per instantiam opponendo Articulum ascensionis & sessionis ad dexteram Patris, quo caro ascendisse dicitur. Et huc trahunt simile desumptum à Sole, qui virtute quidem nobis præsens est, substantia absens, adeoque ita putant & carnem Christi se habere. p. 153.

*Ascensio ad
cælum im-
plicat rea-
lem præsen-
tiam, quia
est conjun-
cta cum ses-
sione ad
dexteram.*

31. Respondeo 1. Instantia hæc potius causæ Calvinianæ obest, cum nec ipsi diffitentur Christum non solum ascendisse in cælum, sed simul confedisisse ad dexteram Patris, quæ dextera est ipsa Dei omnipotentia, nulli loco inclusa, nec à loco aliquo exclusa, Exod. 15. v. 6. Psal. 77. v. 11. Psal. 139. v. 10. Esai. 48. v. 13. Luc. 22. v. 69. Adeoque quia Caro confedit ad hanc Dei Patris dexteram utique præsens est omnibus creaturis regnatque à mari usque ad mare. Quam sententiam approbat ipse

Calvi-

Calvinus referente Marroratro super c. 7. *Calvini sen-
tentiam
nota.*
Actor. ubi Dexteram Dei Patris, ad quam Christus secundum Carnem confedisisse dicitur, non esse locum, sed dominium & potentiam ubiq; regnantis non difficitur. Et hanc Calvinii sententiam opponimus Confessionis, quæ p. 68. pro certo loco sumit dexteram, ad quam Christus confedisisse dicitur ex loco Joh. 14. v. 3. ubi ignaros oportet esse Confessores, quod non viderint locutionem esse Metaphoricam, non autem propriam; quando tales res cœlestes rebus sensibus nostris obvis declarantur, quodammodo delineantur. Et cum ipsa natura pugnat corporum glorificatorum, ipsi in cœlo fingere aliqua domicilia sive loca, cum istis non indigeant, quia illa futura sunt *in Quana* 1. Cor. 13. v. 44. Spirituale verò Corpus non indigebit aliquo loco Physico, qualem corporibus in cœlo competere Calviniani somniant. 2. Ascensus ad cælum pessimè opponitur præsentia Christi cum hæc fiat non secundum modum eundem, sed diversum; nimirum præsens est caro Christi quoad invisibilem præsentiam, quam sortita est ex sessione ad Dexteram: ascendit autem visibiliter; Oppositio autem nulla est. 3. Satis hæctenus nostri Theologi se explica-

O

runt,

Ascensio terrenam conversationem aufert.

runt, quid iste ascensus volet. Non enim implicat totalem Christi absentiam, sed visibilem & terrenam inter homines conversationem. Alias pugnaret hoc r. cum Christi officio Regio, quo ille cœlos ascendens suscepto imperii regimine ad Dexteram DEI Patris confedit, & regnat ac dominatur in medio inimicorum suorum, Psal. 110. v. 2. 2. Cum deambulatione inimicorum septem Ecclesiarum Apocal. 1. v. 13. cum apparitione in via Damascena, Actor. 9. v. 27. & in castris Actor. 23. v. 11. 3. Pugnaret cum salutari exhibitione sanctissimi sui corporis in sacra Domini Cœna. Et 5. cum promissione præsentiæ suæ etiam quoad carnem Matth. 18. & 28. 4. Christus non tantum ascendit ad cœlos, sed super omnes cœlos, Ephes. 4. v. 10. Quæ Apostoli assertio omnem inclusionem in certum locum carni Christi adimit. 5. Simile à Sole desumptum omnino est dissimile, nihil igitur patrocinatur causæ Calvinisticæ, & semper Calviniani distinguere debent inter præsentiã, quæ fit per operationem tantum, sine rei existentia præsenti; & inter præsentiã, quæ fit quidem per operationem, sed non nudam absq; rei præsentiã. Sed quæ præsenter operatur. Sive inter præsentiã,

virtu-

virtutis, quæ per qualitates sibi concreatas in hæc inferiora agit, visque ob hoc opus præsens esse dicitur; & inter Præsentiã manantem ex mysterio unionis personalis. Illam Soli & atris, hæc Corpori Christi adscribimus.

32. Hactenus Præsentiã Carnis in Cœna Domini evici aliquot Argumentis. Jam de manducatione Carnis Christi orali sive sacramentali, contra Confess. aliquid dicam, quæ p. 149. & 151. sacramentalem vocat Elementorum quæ tantum est, spirituales quæ cœlestium rerum. Hanc igitur sententiã velut falsam nostræ sententiæ aliquot Argumentis confirmatiõne refutabo.

33. Argumentum primum sumitur ab unione Sacramentali. Ostensum hactenus est, Rerum in hoc Sacramento non esse vel Physicam, vel relativam, sed Sacramentalem & cœlestem, in qua res cœlestis ex institutione Divina cum Elementis uniuntur; quæ tamen unio non tantum in unitorum coalitione fita est, sed in istorum usu atque manducatione, propter quam uniuntur. Usus verò in eo est positus, ut manducato Pane Sacramentali, simul manducetur Corpus Christi eodem organo vi unionis, & sumpto vino simul

Manducatio sacra Confess., quæ.

1. Ab unione Sacramentali.

bibatur sanguis Christi oxe corporeo. Unde jam ex datis sic colligo: *Qualis in Cœna Domini rerum cœlestium cum terrestribus est unio, talis quoque est manducatio. Aut unio rerum in Cœna Sacramentalis est. Ergo etiam manducatio.* Consequencia est firma. 1. Quia Manducatio fluit ex rerum istarum unione. 2. Quia unio, ex qua fluit rerum presentia, ordinata & instituta est propter manducationem. Si igitur Confess. negat rerum unitarum in Cœna manducationem Sacramentalem sive oralem, manifestum est ipsam negare unionem & vi consequentis institutionem & ordinationem Divinam ad hunc salutarem usum. Aut igitur unio rerum in Cœna fit propter manducationis modum aut non fit. Si illud tum argumenti nostri vis est quam maxima: Si hoc necessum erit dare causam aliam unionis istius. Aut alia dari nequit, quam ut etiam res manducantur sacramentaliter sicuti uniuntur. Inconcussum igitur adhuc stat contra Calvinianos nostrum Argumentum Minor est extra controversiam. Quare illatio negari nisi absurdè nequit.

2. A remotione specierum manducationis. Manduca-

34. 2. A remotione specierum falsarum manducationis carnis Christi in Cœna Domini. Tres vulgò numerantur manducationis species. 1. *Est naturalis*, quæ Ele-

mentorum propria circa quæ velut objectionis species tres numerantur. 2. *Spiritualis*, qua respicitur totus Christus cum suis beneficiis, cum hæc sumens sibi applicat, & tantum illa se salvatum iri credit: & hæc omnibus momentis temporis est necessaria cujusvis status hominibus, quæ non actibus distinctis Carnem & Sanguinem Christi percipit, sed uno tenore & indistinctè sive simul peragit. 3. *Sacramentalis*, quæ neque est Elementorum separatim sumptorum, neque rerum cœlestium tantum; sed utriusque simul; quæ res in Cœna Domini ex ordinatione Dei uniuntur sacramentaliter. Unde sic colligo: *Manducatio Corporis & Sanguinis Domini in Cœna mediantibus Pane & Vino, aut est Naturalis aut Spiritualis, aut Sacramentalis. Non illa*, quia proportionatum objectum propriè loquendo Caro & Sanguis Christi non sunt ori nostro. *Non illa*, quia Cœnæ Domini propria nequaquam est, sed omni tempore extra Cœnam necessaria, & non tam N.T. propria quam utrique communis. Relinquitur itaque, quod fit Sacramentalis manducatio manducatio Carnis Christi & bibitio Sanguinis Domini in Cœna: quod probandum fuit.

35. 3. A verbis institutionis. Perspicuitas

tas verborum in Cœna omnis litis rimam præcludit veritatemque in hac controversia clarè patefecit, si modò Calviniani agnoscere tandem veritatem & illi adhærere vellent. Sic enim loquitur cœlestis veritas: *Accipite, manducate: Hoc est Corpus meum.* Præclarè Christus his verbis demonstrat non duo esse distincta organa manducationis, sed unicum, idq; per singularem vocum positionem, quæ facit, ut unius vocis singularis unica principalis & propria ad rem illam determinata fiat & dicatur significatio. Jam autem hæc singularitas significationis relegatur in auram, si duplicitas manducationis poneretur, adeoque sic & de reliquis verbis Cœnæ facilis esset subsumptio; imò nullum esset ministerium, ubi pari ratione cluditalis singularitas non posset. At quæ foret tandem cettitudo nostræ Fidei? qualis introduceretur Theologia? si omnia pro arbitrio nostro secus forent intelligenda. Sic igitur infero:

Quæcumq; manducatio ipsius Christi verbis est definita, illa in Cœna Domini tantum locum habere potest. Sed Sacramentalis manducatio ipsius Christi verbis est definita. Ergo &c. Propositio est extra controversiam. Minor jam probata & declarata. Aut itaque Sa-
cra-

Vocum singularitas significationem singularem implicat.

cramentalis manducatio tantum in cœna Domini erit rerum propria; aut à Cœna earundem aliena. Si hoc tum erit monstranda species alia; Alia hinc Sacramento competens substitui nequit. Ergo &c. Si illud, tunc frustraneæ sunt rixæ Calvinianorum nobiscum de hac re; & quare agnoscetes verum illud pro vero non agnoscunt? Quare conclusionis stat sua veritas.

36. Hinc igitur cuius sit manifestum *Abusus phrasæ Confess. tupiter abuti phrasæ Sacramentalis seu Sacramentalis manducationis*, quam tantum Elemento-*mentalis manducationis.* rum esse censet, quo suo studio suos errores palliat, & simplices miserè secum in baratrum dogmatis falsi trahit. Et quod hæc ipsorum sententia sit falsa, & non gemina facile patet. Nam 1. signa tantum percipere docet, non verò res signatas huiusmodi. 2. Sacramentum dividit vel potius truncat, cum elementa non verò res etiam cœlestes percipere cenet. 3. Manducatio hæc Sacramento huic est impropria, imò communis utriusque Testamenti Sacrament. adeoque Elementis etiam extra Cœnam Domini positis propria & conveniens. 4. Hæc sententia ex professo contradicit Paulo, qui 1 Cor. II, 24.

Panem illum jubet nos manducare quem paulò antè dixerat esse communicacionem corporis Christi; adeoque non nudum Panem, sed Panem corpori Christi sacramentaliter unitum. 5. Non fluit ex verbis institutionis, sed quis scit *melij bu korbait Szököt ki*. Manifestum igitur est, Sacramentalem manducationem Confessoribus non esse sacramentalem, sed nudum & puerilem vocum ac verborum lusum; quem meritò ridemus & reprehendimus in Confessoribus. Et quæso te qua ratione posset dici solius Panis manducatio Sacramentalis, cum vel ipsa appellatio commonstret, hoc fieri neutiquam posse. Sacramentalis enim dicitur sensu composito complectens totum hoc mysterium sacrum, in quo duarum rerum fit unio sive conjunctio, non vero simplici, respiciendo non ad totum Sacramentum, sed partem tantum ejusdem. Est enim contradictio in adjecto Sacramentalem esse manducationem, & tamen tantum elementorum ipsorum.

37. Neque verò præsentis fori est spirituales manducationem Cœnæ Domini facere propriam, quæ Corpus & Sanguis Christi percipiuntur ex mente Confess. p. 349. quia extra circum hæc strata est; quæ nul-

nullum in verbis institutionis habere potest fundamentum. Certum verò est iudicium malæ causæ per quandam analogiã huc adducere velle illud, quod omninò impertinens & alienum est. Spiritua-lem itaque manducationem modo Calviniano & sensu non posse habere locum in sacra Domini Cœna sequentibus Argumentis evinco. Hic igitur esto generalis Syllogismus: *Quæcumq; sententia 1. Confusionem parit. 2. Fundamento verbi destituitur. 3. Fidem dubiam reddit. 4. Ex unione rerum non fluit. 5. Plane nullo modo Corpus Christi in Cœna manducare statuit; illa & aliena à Cœna Domini est & falsa. Sed sententia Confess. de manducationis Carnis & bibitionis Sanguinis in Cœna Domini est talis. Ergo. Propositio est extra controversiam. Assumptum per singula membra probatur.*

38. 1. Quòd confusionem pariat Confess. sententia facile ostenditur: quia manducatio Sacramentalis & Spiritualis sunt species oppositæ, quarum una non est altera; & una posita tollitur & profligatur altera. Jam autem quod Sacramentalis sit cœlestium in hoc Sacramento manducatio, sufficienter bene multis Argumentis evinci, quæ sententia ad ipsissimam verborum proprietatem accedit. Nam certe

Manducationem spirituales Cœnæ Domini non esse propriam probatur.

Confessio non parit.

*Alamariel
organum
Camp*

non credere præcisè, sed edere Christiani in Cœna jubentur Panem illum, qui est communicatio corporis Christi, 1. Corinth. II, 24. Et quamvis sacram Cœnam fumendo qui conjungunt Sacramentali sumptione spiritualement quoque, quia hæc per illam confirmatur, & fructus ac usus illius est; tamen non præcisè & primariò est præsentis controversiæ. Si igitur Confessione spiritualiter edere carnem Christi est propria sumptio & sacramentaliter Elementa, tum Sacramentalis amplius non erit hujus loci propria, sed aliena & secundaria: imò spiritualis & sacramentalis non sacramentalis, quæ & confusio est, & contradictio. Et tamdiu species hæc manducationis Cœnæ Domini erit propria, quæ nos agnoscimus, quamdiu Calviniani commonstrare non poterunt spiritualement potius esse hujus loci. Si hanc agnoscant, tum illam non esse hujus loci ex Scripturis ostendere tenentur. Ast prius cenfeo fore libri hujus Censorem Lutheranium, quam ut hoc commonstret.

*Spiritualis
manducatio
quid?*

39. *Spiritualis manducatio est Redemptoris Christi in promissione Evangelica apprehensi fructio, quæ indistinctis actibus totum percipit Christum & necessaria est ad salutem omnibus*

bus in lucem naturali generatione provenientius & enixis, etiam ipsis infantulis, qui interea præmatura colliguntur morte, & quidem omni loco & tempore. Tale verò fundamentum in verbis Institutionis de manducanda carne & bibendo sanguine indistinctis actibus & immediatè esse positum, quomodo monstrabunt Confessores. Illic certè præcisè non jubemur credere in Christum, quamvis hoc ipsius Cœnæ salutaris sumptio prærequirat, sed jubemur manducare panem, qui esset corpus Christi & bibere vinum, qui esset sanguis Christi. Aut igitur Confessio verbo promissionis, de tali manducatione destituta fallit, aut aliam huic Cœnæ manducationem esse propriam eamq; agnoscendam innuit. Si hoc, cur non approbat, sed diverticula struendo & phrasibus abutendo pessimè ludit. Si illud, quid quæso falsitati superstruere potest. Hallucinatur itaque turpiter. Producat itaque Scripturas, citet testimonia, annotet Biblica capita, ubi descripta sit hæc manducatio spiritualis velut Cœnæ Domini gemina species. Certè nudè tantum aliquid adstruere non prævia Scriptura nec est consultum nec consonum.

*Dogma à
sacris literis
rece tens in
nihilum re-
digetur.*

40. 3. Omne dogma ad salutem neces-
sarium certo verbo institutionis est deli-
neatum in sacris literis in sede propria; &
quod hac destituitur autoritate nulloq;
nititur sacrarum literarum fundamento,
illud dubiam reddit fidem, quia Spiritus
sanctus in nobis efficax est verbo & Sacra-
mentis: non verò Entusiasticis aliquibus
raptibus. Jam autem quando Confess.
pulchrè quidem verbis, turpiter tamen
sine fundamento, Spiritus sancti efficacia
non mediante pane, sed interno modo
Corpus Christi nobis in Cœna Domini
dari censet, quibus quæso verbis institu-
tionis suam hanc sententiam confirmat?
Fortè his: Edite, hoc est Corpus meum.
At hæc verba Corpus Christi mediante
Pane, cui illud unitum est, docent nos sa-
cramentaliter manducare; carnem Christi
huic esse unitam, nec ipsi negatum i-
bunt, utpotè, qui ceu velamentum est
sacratissimæ carnis Christi, non absentis,
quia sic non foret velamentum, sed præ-
sentis. Ubi igitur verba institutionis de
hac commestione spirituali? De efficacia
quidem Spiritus sancti non dubitamus, sed
illius efficaciam eo trahere velle, ad quam
se verbo promissionis non obstrinxit, quis
persuadebit, ut credamus? Igitur hinc pa-
tet

tet dubiam reddi fidem hoc dogmate de
manducatione tali; quia ne literulam,
Confess. è verbis institutionis pro se faci-
entem producere potest. Hæc Christi sunt
verba de Pane sacro dicentis: Accipite,
comedite, hoc est corpus meum: huic
cōstanter pia mens adhærere potest; quòd
medio hoc suum corpus, Redemptor nō-
ster cibi loco mystici exhibere voluit:
quod si internam aliquam exhibitionem
intendere voluisset, sapiens est, Scriptura
consignari cura esset. Nec obstat dictum
Joh. c. 6. quod trahit in patrocinium suum
Confessio; nam illud sanioribus Calvinia-
nis attestantibus nihil ad præsentem facit
limam. Quod innuatur illic manducatio
spiritualis cerò scimus, sed illa verba esse
Cœnæ Domini verba omninò pernega-
mus. Theologorum verò regula est: *unum
quodq; dogma ex propria sede sue Institutionis
probari debere.* Aut igitur Confess. dogma
verbo institutionis nititur aut opinione.
Si verbo, ecquod illud sit, demonstratione
opus est: quod ut proferant Confessores
rogamus. Si opinione, tum aërem pul-
sant, & Articulos opinioni superfundari
putant.

41. 4. Sufficiens fuit supra ostensum
res cœlestes cum Elementis uniri, non spi-
ritua-

*Maxima
Theologo-
rum.*

ritualiter sed sacramentaliter, propter presentiam rerum istarum veram ac realem. Unionem autem hanc consequitur manducatio, propter quam illa fit; Si igitur manducatio foret spiritualis, quomodo non enervaretur unio? Ast hanc non spirituale esse inficiantur nulli Calviniani, sed sacramentalem lubenter concedunt, qualis igitur est unio, quæ determinata ad manducationem, talis quoque censenda ipsa manducatio, quæ ex illa fluit, eandemque consequitur. Hic verò spiritualis locum habere nequit, quia non propter illam unio est instituta, neque ex eadem fluit, uti supra ostensum; quis igitur speciem oppositè remotam pro proxima & genuina substituendam esse suadebit? Nemo, nisi Calviniani: ast quo quæso fundamento? nullo nisi fortè opinione moti; quam in ipsis ridemus.

42. 5. Dogma hoc Calvinisticum nullam planè manducationem corporis Christi in Cœna fieri introducit, id quod sic ostendo: Calviniani in Cœna Domini manducant carnem Christi *aut manducatione spirituali, aut sacramentali*. Non illa 1. Quia Cœnæ Domini propria non est, nec ipsius requisitum consequens. 2. Quia fit immediatè & indistinctè. 3. Quia communis utriq; Testamento; quod foret con-

tra

tra rationem Novi. 4. Quia ad salutem simpliciter est necessaria & omni tempore; quod in manducatione corporis Christi non fit. 5. Quia tantum ad salutem fit non verò ad iudicium; cùm caro Christi etiam ad iudicium ab incredulis fumatur. 6. Quia nullo verbo institutionis nritur. *Non hac.* 1. Quia solius Panis est & solius vini; ex mente Confessionis. Jam autem non solum Panem, sed corpus Christi Pani unitum manducare jubemur. 2. Quia dubia est Confessio, an hac manducatione ampliùs aliquid manducetur præter Panem. p. 152. 3. Quia Pani & Vino tribuitur tantum honoris gratia, non verò re ipsa, aut ut Confessio loquitur, sacramentaliter. p. 153.

43. Manet itaq; ratum & firmum, Calvinianos nullo modo carnis Christi & sanguinis Domini in Cœna fieri participes, de qua tamè splendide & superciliosè gloriari aliàs non erubescunt: sed vana est gloria hæc & planè fucata, quam ridemus potius quàm plurimis refutamus. Nam quando gloriari volumus, semper nos oportet prius esse certos, an illud, ex quo gloriatio fieri debet cum veritate consentiat. Ast quomodo Calviniani certi fiunt de vera & reali manducatione Corporis Christi in Cœna Domini, eo nimirum

modo,

*Participes
nullo modo
carnis Christi
in cœna
fiunt Calvi-
niani.*

modo, quem illi jactant, cum nullam habeant Scripturam præviam? Habemus igitur quod volumus. Reliquarum instantiarum in hoc negotio de præsentia carnis Christi, solutionem facile colliget ex jam datis quibus; Et has copiosius Exerc. 1. refutavi, ubi legat, qui volet.

SECTIO IV.

DE FORMA COENÆ
DOMINI.

44. Fuit Materia, sequitur Forma Cœnæ Domini. Hæc autem quia *est* dat rei ita docenda, ne tollatur ipsa res. Forma enim rei sublata, res ipsa amplius consistere nequit. Istæc verò petenda non aliunde quam ex verbis institutionis, quæ: *Edite, bibite*: notant ipsam Cœnæ actionem, non nudam nec opinioni Calvinianæ succenturiantem, sed verbo DEI superstructam, quæ in manducatione Panis & simul Corporis Christi, & bibitione Vini ac Sanguinis Christi superædificata est, vi & vigore verborum institutionis. Quæ Orthodoxorum sententiâ ponderosa Argutorum mole aliàs à Theologis probatur, quæ hic meminisse non opus est; sufficit quædam annotasse. Probari igitur

Forma Cœnæ D. est tota facta actio.

igitur ea potest. 1. Ex Unionem Sacramentali rerum cœlestium cum terrestribus. 2. Verbis institutionis, 3. Ex officio panis Sacramentalis.

40. 1. Supra evici Unionem in Cœna Domini Elementorum & rerum cœlestium, nec spiritualementem, nec Physicam esse sed Sacramentalem ex qua Forma fuit hujus Sacramenti. Ut enim Forma Materia sic & Forma Cœnæ ex hac promanat: Et quemadmodum Unionem Sacramentalem esse rerum istarum certo scimus, sic earundem formam in manducatione & bibitione esse positam certo credere debemus. Rerum enim unitarum ea est natura, ut eandem in officio ad quod præordinantur, sortiantur conditionem. Quapropter in Cœna Domini nec solus Panis absque corpore Christi, nec solum vinum absque sanguine Christi; sed Corpus Christi Panis Sacramentaliter unitum, & Sanguis Domini vino eadem copula unitus manducantur & bibuntur vi & vigore Unionis: qua negata, ipsa negatur manducatio; & hac sublata aufertur ipsa Unio. Aut igitur Sacramentalis erit unio rerum istarum aut non erit. Si illud tum non nuda elementa manducantur; sed res quoque cœlestes istis unitæ

P

unitæ modo supernõ; & si hoc verum est, uti etiam est tum falsum sit oportet. 1. Unicum rerum istarum non esse Sacramentum. 2. Res has in Cœna una cum elementis non percipi. Si hoc tota natura mysterij divertitur, quod ne ipsos Calvinianos asserere scenseo. Negato igitur hoc prius conceditur, id quod volo & concedo.

2. Probant hanc Formam ipsa verba Institutionis apud Paulum 1. Corinth. 10. vers. 16. qui disertè affirmat Panem illum qui manducatur esse Communicationem Corporis Christi, & Vinum quod bibimus esse participationem Sanguinis Domini. Jam autem communicatio fluit ex unione, adeoque & ipsa manducatio & bibitio, quæ immediate ex illa promanat, & propter quam participatio rerum harum fit. Ast si secus fieret, nec participatio hæc locum habuit nec ipsa Unio, *Sublato enim ordinati officio, tollitur ipsa ordinatio & simul ad illam perinentia.*

3. Accedit Panis Sacramentalis officium; quod non est in adumbratione positum, sed in manducatione situm; non enim illo Corpus Christi figuratur, sed exhibitur & porrigitur sumenti; Falsa igitur Confessio. hæc de re est sententia, qua

qua docet per comparisonem & Analogiam quandam sicut Panem confringere vitam corporalem, sic Corpus & Sanguinem Christi vitam spiritualem, quod Corpus Pane & Sanguis adumbratur Vino. p. 150. Verum quid opus est figuras quærere ubi nullæ sunt, analogias fingere, cum res non permittunt. Panis enim ordinatur ut sit corporis Christi manducandi medium sive organon, quo illud ceu velamento obtegatur, & de quo pronuntiatur. Hoc est *Corpus meum*. Certe verbis Cœnæ non innuitur adumbratio sed manducatio; atque sic, Corpus non analogiam aliquam habet ad panem quam Confess. prærendit, sed mediante Pane sumitur & manducatur. Analogia verò ut res fiat manifestior est duplex. Principalis & Minus principalis. Principalis analogia est, quod panis Eucharist. sit medium idoneum ad distributionem corporis: Vel ut Apostolus loquitur *κωστωρια* Corporis Christi, & vinum *κωστωρια* Sanguinis Christi. Minus principalis consistit in facultate nutriendi naturali & in fructu Cœnæ quæ est spiritualis nutritio &c. D. Gerhar. Tom. 5. p. 255 semper igitur hic quæritur de principali analogia quæ ex institut. fluit, non autem hæc quem Calviniani jactant.

48. Et ut eo fortius hæc Confess. ἀλογία refutetur, placet prius Confess. verba recensere: Sic illa habent p. 150. *Quemadmodum, inquit, cibus corporalis & potus non modo renovant & confortant corpora nostra, sed eos servant in hac vita: ita pro nobis traditum corpus christi, & effusus sanguis non modo renovant & fortificant Animas nostras, sed easdem conservant hac in vita. &c.* Speciosè hoc profert Confessio, sed minus recte. Et extra controversiam volo esse positum, aut me negare conservationem Animarum nostrarum fieri unicè per corporis Christi traditionem sanguinisq; ipsius effusionem de hoc enim hic nota disquiritur. Sed quæ sit Forma Cœnæ? & an Panis tantum Analogiam corporis sustineat adumbretq; spirituales alimoniam? An verò sit medium Corporis Christi quo mediante manducetur? in quo vera & Principalis analogiæ ratio consistit, ut non abutamur voce hac sicut Calviniani. Calviniani hic analogiam fingunt, nos actionem agnoscimus. Unde multipliciter refutari data Confess. verba possunt. Et ut eo melius intelligat Lector quem in finem hæc proponuntur à Calvinianis sciendum est, errorem hunc fluere ex falso negationis, dogmate de Præsen-

Præsentia Carnis Christi, hanc enim quia semel negarunt, quærunt miras umbras, per quas alimoniam adumbrativam nobis obtendere satagunt. Sed fraus hæc levis est armaturæ quam sequentibus rationibus refutare placet.

49. Nam 1. Opinio isthæc Confessionis falsa nititur hypothefi; quando Confessores putant nos Cœna Domini propterea uti ut fortificentur nostra corpora & conservetur corporalis vita: talis enim opinio à Paulo rejicitur 1. Corinth. II. v. ult. *Si quis inquitens esurit domi manducet*: subinuens Cœnæ usum non propter formam aliquam se dandam aut vitam corporalem conservandam; sed ut panem Eucharisticum sumerent ad Fidem augendam, & spem in Deū erigendam. Non igitur Panē adumbratur alimonia aliqua Calviniana, sed exhibentur eodem pignora divina. Nō edis Panem Cœnæ ut corpus mortale physico modo sagines, sed ut istis elementis alimoniam illam cœlestem sive Panem vitæ de cœlo descendentem sumas, in quo principalis officij ratio Panis est posita. Constat hoc vel inde quod Apostoli jam saturi Cœnæ D. participes fuerunt. Non igitur ad saturitatem Panem Eucharistiæ

Adumbrationem spirituales alimonie per elementa non habere locum probatur.

sumferunt, sed ut hoc modo corporis participes redderent.

Discedit à 50. *Planè nullo nititur Institutionis verbo.*
Scriptura Nam quantum attinet ad hanc efficaciam
dogma Corporis & Sanguinis Christi de conser-
Confessio. vatione animarum nostrarum totus con-
nis. cedo ut traditione Corporis & effusione
 ipsius Sanguinis vita nos donari, ita eodem conservari, de qua traditione passim Scriptura loquitur: sed quod hæc conservatio adumbretur Pane sacra mentali, ita ut plane tantum hanc adumbret conservationem, sicuti ipse vitam nostram corporalem conservat, ita etiam Corpore Christi conservari vitam nostram, non quidem illud manducando sed panem tantum istius Corporis; hoc velut scripturæ ignotum dogma plane inficior. Recordari quidem in Cœna Domini jubemur mortis Christi, prævio institutionis verbo, sed manducando Corpus & bibendo sanguinem; atque de tali speciosa contemplatione quam Confessio tradit, ne $\chi\epsilon\upsilon$ quidem inibi reperitur. Sicut igitur non prævia scriptura aliquid asferere in Articulis Fidei religio Christiana notat, ita talem contemplationem in hoc Cœnæ mysterio fingere perhibet. Non igitur

igitur sine injuria Scripturæ sine verborum institutionis Cœnæ D. ad decipiendū imperitum vulgus utitur Confessio hac splendida verborum prolatione dum tradit ignota Scripturæ non consona mysterio & prorsus aliena à præsentis negotio

51. *Apoplexia laborat speculatio hæc.* Ad quod enim Panis Sacramentalis ordinatus non est, ad id usus ipsius trahi non debet. Jam vero patet Panem Sacramentalem in Cœna non ideo ordinatum esse, ut is sua nutritione sive fortificatione dum sumitur, adumbret, significet & præfiguret Corporis Christi confirmationem: sed ut sit $\kappa\omicron\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ Corporis Christi 1. Cor. 10. v. 16. Ast adumbrare talem conservationem & esse $\kappa\omicron\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ sive medium exhibens, id, quo nobis conservatio traditur, toto genere à se distant. Non igitur sine impudentia Calviniani huic Pani officium hoc suffurantur, & pro $\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\delta\omicron\zeta\iota\alpha$ sua adstruenda aliud quid substituunt, scripturæ & ignotum & incongruum. Nemini vero hoc mirum esse debet quia & dogma hoc ipsorum cum Scripturæ est ignotum tum simul incongruum. Aut itaque Panis Sacramentalis adumbrat hanc conservationem corporis Christi, aut potius ipsum

*Panis est
 $\kappa\omicron\upsilon\omega\nu\iota\alpha$
 Corporis
 Christi.*

Dilemma.

Specula-
tio Calvi-
niana.

psium corpus exhibet. Si prius assumunt
uti etiam faciunt, tum 1. Ipsos Cœna
Domini uti non erit necesse, sed semper
vel Cœnæ vel Prandio assidendo hac spe-
culatione utantur, dicentes: Quemad-
modum hic cibus corporalis non modo
confortat corpora nostra sed simul etiam
in hac vita conservat: ita Corpus Christi
pro nobis traditum & sanguis effusus non
solum animas nostras fortificant sive cor-
roborant; sed simul easdem conservant.
Abstineant igitur post hac omni Cœnæ
participatione. 2. Non frustra tantum.
Panis & paucum vini sumant & bibant,
sed large & in copia, ita ut non putativa
sit conservatio vitæ corporalis in hac vita
de qua Calviniani, sed vera. Nam eo
frustrato Panis quod in Cœna percipis
quisquis es Calviniane, vita tua non con-
servatur; actum esset de te si tantillo Pane
conservationem tuam velles fulcire: igitur
intrepide hinc colligo nos laute & in
magna copia de Pane hoc manducare de-
bere si vultis ut conservationem corpo-
rum vestrorum in hac vita habeatis. At-
que sic, ô vos prophanos! num non ex
sacratissima hac Cœna, vulgares epulas
efficietis. Si posterius assumunt, tum
post

post longas tandem per abyssum errorum Panis cœ-
peregrinationes, ad viam redeunt, & de-
monstratæ veritati cedunt; id quod etiam
facere mature si salus cordi est præmo-
nentur. Uti enim Panis hic non amplius
est vulgaris sed sanctificatus & ad hoc offi-
cium segregatus ac destinatus: ita officium
ipsum non est commune cum reliquis pa-
nibus, sed singulare & mysticum, ita ut
hoc Pane mediante qui distribuuntur simul
corpus Christi distribuatur ac manduce-
tur & vino sanguis Christi bibatur. Hoc
illud germanum officium Panis est, non
autem illud fictitium & minus Panis com-
mune. Sapient itaque tandem Confes-
sores, & ne simpliciores erroribus istis in-
eferant. Reddenda erit ratio dictorum
& dogmatum semel Christo, aut Christi
verba vos cum deferatis, num non prom-
ptuarium conscientiæ nutabit? ubi tum
pudor? ubi talis speculatio? non consistet
coram facie Domini. Cogitate igitur de
via recta & possidetis rationi abdicare.

52. Sicut igitur Confessionis sententia
in hoc negotio labascit & propter vetu-
statem erroris nutat; ita nostra ceu sacris
litteris consona stabilis ac firma est. Quam-
diu enim non possunt comprobare Adver-

farj ex ipso institutionis verbo suam hanc analogiam vel potius speculationem Humanam tamdiu frustra contra nos tela sua vibrant & nihil aliud faciunt quam oleum & operam perdunt. Manet enim adhuc firma & semper manebit Theologorum illa regula: Quod de quovis Articulo (atque sic de omnibus ejusdem articuli partibus essentialibus) Fidei ex propria sede sit judicandum. Calvinianæ vero speculationi in institutione locus nullus superest: sed hoc tantum habetur; *Accipite manducate: Hoc meum est corpus.* In quibus verbis sedes veræ ac genuinæ Formæ Cœnæ D. habetur, quæ manducatio Corporis cum Pane & bibitio sanguinis mediante Vino. Ad hanc veritatem cœlestem erige analogiam illam, & patescit nullum amplius superesse locum istius in hoc negotio. Sed de hac re & alibi actum: hic igitur non lubet plura addere. Qui volet hac de re plura legere, consulat Tom. 3. Disput. Gissens. Disput. 8. & alios.

SECTIO

SECTIO V.

DE FINE USU SIVE FRUCTUS SACRÆ COENÆ.

53. Hactenus egi de causa Formali Cœnæ Dominicæ, jam de Fine & fructu quippiam agendum. Plurimi & gravissime ique salutares fines ex hoc sacratissimo thesauro resultant ac redundant ad eos qui verè credentes percipient hoc epulum. Vere credentes dico; Illi enim non possunt fieri participes istorum beneficiorum. Qui planè omni Fide vacui ad hoc epulum accedunt: sed illi tantum qui postquam ex Lege sua agnoscunt peccata, de illis actâ pœnitentiâ seriò dolent, sanctè & justè se posthac victuros pollicentes, & coram Deo pie servituros sibi constanter proponentes vera ac firma Fide in Christum credunt, omniaq; ipsius beneficia sibi applicant, & nihil magis in votis habent, quam ut ad nutum ac voluntatem Redemptoris sui rectè vivant, à peccatis vero contra conscientiam abstineant. Ita dignè postmodum utentibus convivis, cœlestis dator larga manu in suos elargiar omnium be-

*Qui non
sunt par-
ticipes be-
neficiorum
Christi.*

um beneficiorum suorum thesauros. Uti enim ad rem aliquam possidendam non modo requiritur manus porrigens, sed etiam apprehendens: ita in Verbo & Sacramentis quæ manus Dei sunt offerens, & Fide, quæ ex parte nostra est manus apprehendens hæc recte considerantur. Deus tibi offert in Sacramentis per Christum parta beneficia; tuum est hæc vera Fide apprehendere atque sic salutarium horum beneficiorum participem fieri.

54. Cum ipsius Filius DEI Corpus in mortem ac redemptionem pro nobis traditum, & ipsius sanguinem in ara crucis pro remissione nostrorum peccatorum effusum in Cœna Dom. accipiamus, facile hinc quis colligere potest, quod omnia illa beneficia, quæcunque Christus sui corporis traditione & Sanguinis sui effusione nobis promeruit, in hoc convivio offerantur, applicentur & obfignentur. Quos Christus verbis institutionis brevitate quidem succincta & miranda, mysterio tamen reddente proposuit; dum asserit, illud corpus nobis in Cœna ad manducandum dari, quod *pro nobis est traditum*, & illum sanguinem ad bibendum adhiberi, qui Sanguis N. T. est effusus in peccato-

*Christus
quia nobis
traditur
omnia qui
nobis simul
exhiben-
tur.*

peccatorum; nostrorum remissionem. Hanc beneficiorum magnitudinem Patres admirantes, magnam encomiorum de Cœna ejusq; fructu & usu molè in scriptis relinquerunt. Chrysostr. h. 83. in Matth. sacram Cœnā vocat *caput bonorum omnium*. Ambros. in 1. ad Corinth. 11. appellat *spiritualem medicinam* & quæ alia inveniuntur. Ut verò eo distinctius, hac de re omnem rem proponam placet hic sequi methodum finibus Cœnæ D. Dn. Gerhardus, qui Tom. 5. c. 20. Artic. de Cœna. p. 454. & sequentibus magna cum fidelitate hos perrexet, apud quem plura Lector de hac re inquiret.

55. In duas cum primis classes Fines Sacramentorum disperguntur. Sunt enim alij Principales, alij verò minus principales. Principalium. 1. *Est promissionis Evangelicæ de peccatorum remissione obfignatio simulq; nostræ Fidei confirmatio*. Christum nostrum esse Mediatorem, patris in sacræ testamenti literæ: Hic enim corpus suum in ara crucis pro nobis tradidit, & sanguinem in peccatorum nostrorum remissionem effudit, ut nos per ipsum & propter ipsum in filios cooptemur & vita perfruamur. Idem ergo suo hoc sanctissimo corpore in Cœna Domini nos satiat exhibendo illud sub

*Fines Cœ-
næ dupli-
ces.*

sub pane & cum pane & sanguine suo in ara crucis effuso nos potat, mediante vino illum nobis exhibendo in hunc unice finem ut nostra Fides de peccatorum remissione gratuita confirmetur & quam certissima reddatur. Qui enim verè ac digne accipit Christi corpus & bibit ipsius Sanguinem mediantibus pane & vino, is quam certissimus redditur, quod omnia illa ipsi simul ex gratia per Fidem donentur, quæcunque Christum sui corporis traditione promeruit, qualia sunt peccatorum remissio, gratia Dei & vita æterna. Plaudite igitur ô fidelis anima, cui dantur tanta beneficia, prorumpe in laudes Dei & encomia ac tanto tuo domino mente grata refer laborum præmia. In hac corporis fragilitate Fides nostra facile infirmatur beneficiorumq; Christi facilè capit obliuio; utque nobis Redemptor noster succurreret hoc epulum factatissimum in memoriam instituere voluit; adeoque ut per communicationem corporis sui ac sanguinis, vivam illam mortis suæ recordationem in nobis operando Fidem augetet & confirmaret.

56. 2. Est nostra in Christum institutio, & spiritualis ad vitam æternam nutritio. Vt Filio Dei nihil est conjunctum arctius quam assum-

sumpta natura, quam ille sibi eandem unionem Personali univit: ita nobis propius nil conjungitur quam quod manducemus ac bibamus. Est verò corpus Christi Panis ille vitæ, quem ille instituit, ut in Cœna manducaremus Pane mediante & sanctissimum ejus corpus biberemus vino mediante, quibus sic nos aduniret sibi & nos uniemur ipsi. Ad nos igitur hanc vitam & nutritionem divinam derivat. Sicut enim palmites vitalem succum trahunt ex vite ac vim fructificandi: Sic ex carne Christi vivifica Spiritus vitæ ad nos descendit. O igitur nos felices; ô terque quater beatos: jam cum Apostolo quis exclamare potest: Vivo jam non ego sed vivit in me Christus Galat. 2. v. 20. Hæc de de Finibus Principalibus.

57: Minus Principales fines sequentes numerantur à Theologis. 1. Est ad gratias Christo agendas pro opere redemptionis excitatio. 2. Nostræ obedientiæ erga Christi institutionem ac ordinationem contestatio. 3. Exemplo Christi patienter ferendæ crucis ostensio. 4. Publicorum cœtuum Christianorum conservatio. 5. Ipso facto de peccatis agnitis actæ penitentia commonstratio. Et tandem 6. veræ doctrinæ Ecclesiæ sonantis declaratio.

Simile.

*Minus
Principales
Fines.*

tio. Hos & his similes usus vera Fide accedens & Sacramento hoc perfruens percipit, atque sic magis in Dei timore indies proficit.

58. Quid Confessio de fructu & usu Cœnæ statuat ex jam dictis facilè liquet. Censet quod DEUS nobis propter corporis traditionem & sanguinis effusionem omnia peccata condonaverit, & ab æterna morte, potestateq; Sathanæ liberaverit, & quod jam nos cibet corpore suo & potet sanguine, quibus nutriamur ad vitam æternam, spiritualiter nimirum his perfrundo. De hac perceptione spirituali superius satis dictum fuit. Remissionem peccatorum nos consequi non aliunde quam interveniente morte Christi corporisque ipsius pro nobis traditione & nos constantes affirmamus: Non satis tamen liquet quid velit Confessio verbis allegatis quæ p. 147. & 148. habentur. Aut enim hoc vult quod Christus una corporis sui traditione peracta remissionem peccatorum nobis acquisivit, de quibus ut certi redderemur illud ipsum Corpus in mortem pro nobis traditum mediante Pane in Cœna Domini nobis jam exhibet ad manducandum, & Sanguinem suum in remissionem pecca-

*De finibus
Cœnæ
confessionis
sententia.*

Dilemma.

bibendum, offert, ut sic Fidem nostram de hac remissione peccatorum per verum ac realem usum sui corporis roboret ac confirmet: aut diversum quippiam. Si hoc fovet, tum tenetur mentem suam magis perspicuis verbis declarare, quibus constet quidnam velit; Alias supra de Sacramento satis est ostensum, quod Confessio, non nisi cum ruina doctrinæ suæ possit appellare Sacramenta obfignationis. Sin illud tum in hac particula nobiscum consentiret. Sed non puto hanc ipsius esse mentem, imò contra meatem potius. Cum pleno ore adfirmet, non Pane mediante præsens verè ac realiter corpus Christi in Cœna manducari, sed absens in SPIRITU, ut ex supra allegatis patet. Tenentur igitur Confessores plenius mortem suam declarare & patefacere, ne sub involucris istis lateant, in hocque negotio nos suspensos teneant.

59. Quæ hîc & in pagellis subsequen-
tibus de significatione, adumbratione & præfiguratione inspergunt Confessores, quæ etiam quadantenus fines attingunt; supra sunt copiosè referata, ubi Lector cupidus veritatis videre potest; De minus principalibus finibus quæ habet, non sunt controversa: igitur de his nil attinet di-

Q

cere.

Quaestio.

cere. Placet verò unum ex vobis quærere Confessores; An videlicet sincere credatis, Christum esse totius generis Humani Redemptorem? Nam p. 152. Inter fines minus principes refertis etiam gratiarum actionem, quando videlicet Homo Deo refert gratias pro redemptione sui, imò pro redemptione generis humani, de qua ipsi constat. Si affirmatis, tandem sapitis; Sin negatis, & desipitis, & quod negatis non probatis. Sed ad hæc directè, si viri estis, respondebitis.

60. Hic unam atque alteram contradictionem Confessionis apponere lubet. 1. Pudet Confessores linguam Christi imitari & verba ipsius sequi, ea propter ajunt p. 153. Panem illum non esse corpus Christi, puta verè ac realiter sive sacramentaliter, ut nos hoc termino utimur, sed tantùm sacramentaliter esse corpus Christi hoc est, figuratè, metonymicè & per prædicationem verbalem, ubi tantùm nomen rei attribuitur; alteri non verò res ipsa. Nam küllömben mintt mikor Calvinistak közöt az Prædikator telefigit, *Prædikator non k nevezik*; ubi tantùm nudum nomen ipsi attribuitur, re ipsa autem planè non est id, quod ipsi tribuitur. Ast quæso num sic Panis ille Cœnæ est corpus

Chri-

Christi? Nequaquam, sed quia ipsi est unicum corpus Christi modo sacramentali, propter distributionem, ea propter est corpus Christi non nudè secundum appellationem tantùm, sed reverà ac reapsa. Et tamen Confessores sui obliti retinentes Verba institutionis; rectè dicunt, Hoc est corpus Christi, Pane monstrato. Est igitur crassa contradictio: *Panem esse corpus Christi, & Panem non esse corpus Christi*. Illam propositionem verè & rectè tradit schola Christi; hanc falsò schola Calvinii.

61. Eadem pagina differens de Christi absentia, censet Christum, quoad assumptam naturam esse in cælo; hoc est, in certo loco cæli, uti se declarat p. 68. Et tamen sui oblita ibidem censet non longè abesse Christum, sed præsentem esse ibi, ubi Cœna juxta institutionem ipsius peragitur. *Absentem esse & præsentem esse* certè sese tollunt. Nec alicujus hili est declaratio illa, ducta à Sole, quod sit præsens ratione virtutis & efficacæ; non verò præsentia reali. Nam ego retorqueo hoc jugulum, & dico: Christam ea propter esse præsentem etiam ratione substantiæ suæ, quia virtute sua præsens est. Cùm in divinis operatio virtualis præsupponat præsentiam substantialem, uti Exercit. I. hoc clariùs fuit

Q 2

osten-

ostensum. Et in hoc eodem loco habent adversarii, quod ipsis opponatur. Nam censent Christum non abesse ab Ecclesia, in qua Cœna Domini celebratur. Jam verò in Cœna illa præsentia sunt Corpus & Sanguis Christi Pani & Vino, & juxta institutionem siue ordinationem Christi distribuantur. Ad essentiam enim Sacramentorum etiam res cœlestes pertinent, alias Sacramentum foret mancum; quam rem animadvertens ipsa Confessio refert ad constitutionem Sacramentorum res cœlestes, p. 133. Plura addere nō lubet propter celerem in patriam abitum. Vidisset plura Lector benevolus, si malitia Typographi Exemplar integrum non fuisset amissum. Sed jam manum de Tabula.



CON-

Conclusio.

ATque sic intra privatos parietes Witebergæ, à laboribus publicis, quantum oculis superfuit, has lucubratiunculas feliciter in honorem DEI ipsiusque veritatis defensionem, non vana adductus gloriolâ, sed ut in veritate defendenda magis, magisque me exercerem, susceptas, continuavi, & hanc qualem qualem meam operam publici juris, admonitione Præceptorum Clarissimorum & Excellentissimorum esse volui. Scio verò multos fore malevolos censores, qui has meas quales quales Exercitatiunculas juveniles sunt arrosuri; has tamen per DEI amorem oro & obsecro, ut seposito omni odio candidè, si ita ipsis placitum est, mecum agant; ego Palæstram non subterfugiam defensionis. Tu verò qui veritatis es amans, DEO da gloriam & rectè demonstratam agnosce veritatem.


Q 3

tatem. Tibi autem, dulcissime Jesu
Christe, spes & corona juventutis
meæ, qui dedisti cor, quod te cogita-
ret, animum, qui te diligeret, mentem,
quæ te recoleret, intellectum, qui te in-
telligeret, rationem, quæ tibi semper
summo, delectabili fortiter adbe-
reret, sit laus, honor, & gloria

A M E N.

SOLI DEO GLORIA.

F I N I S.



WITEBERGÆ

Et Typographæo Johannis Gormanni,

Anno Christi 1619.